Moral.

1618
1598

Akc. K 196/87



S-105
296

S-105

SYSTEMA ETHICÆ,

TRIBVS LIBRIS ADORNA-tum & publicis prælectionibus traditum in Gymnasio Dantiscano,

à

BARTHOLOMÆO KECKER-MANNO Dantiscano, Philosophiæ ibidem Professore.




LONDINI,
Ex Officina NORTONIANA.

1607.

Sum ex libris Johannis Theodorici Thorn. Ao 1611.

Ex Bibliotheca Decanali Osnabrug.



LECTORI BENE-VOLO.

QUAM fraudẽ reliquis omnib. disciplinis tempora fecerunt, vt vno quidem in loco multis velut falce quadã amputatoria resectis, eas mutilas effecerint, alibi verò assutis multis heterogeneis, eas monstrosè auxerint: cæteras ita luxarint, vt nullum ferè membrum suum sibi conuenientem situm retinuerit, sed omnia sedibus sibi à naturâ & arte assignatis exturbata in alienum locum transierint: hoc idem infortunium Ethicam quoque arripuit. Cum enim Ethica eiusmodi in collocatione locũ sortita esset, vt in confinio quasi multarum disciplinarum constituta, vndique earum ambitu terminaretur: factũ est, vt limitibus siue confusis, siue sublatis, multa in Ethicam irrepserint, quæ aliarum disciplinarum erant, & ex Ethica quoque non omnino nulla in alias disciplinas sint assumpta. Hinc istæ ex Physica in Ethicam translatæ, ibique ex professo pertractatæ materiæ de Intellectu, de voluntate: ex sacrosanctâ Theologiâ, de verâ pietate in Deum, de æterna beatitudine: ex aliis, de felicitate Contemplatiua, & de virtutibus Intellectualibus ad felicitatẽ

istam ducentibus: quasi aut Practicæ disciplinæ esset Intellectus & voluntatis naturam subtilius rimari, aut Ethicæ vnius de felicitate præcepta tradere, de felicitate, inquam, quauis, etiam Theoretica, *etiam* Theologica. *Quibus dum in Ethica locus quæritur, ecce ex altera parte omissi & ostracismo velut electi multi vtilissimi Canones ipsarum virtutum moralium exercitium propriè gubernantes, extorris facta integra de gradibus vitiorum doctrina, quæ à Iurisconsultis interim adoptata apud eos hospitium inuenit: profligata denique multa alia. Quæ verò limites Ethicæ non excesserunt, eam domi calamitatem passa sunt, vt violenter distracta & discerpta innumeris disiungerentur hiatibus. Quod cum animaduertisset vir clariss. Dn.* B. Keckermannus, *non malam se gratiam inituru putauit, si quam in aliis disciplinis ordinandis diligentiam & industriam adhibuisset, hac eadem Ethicæ quoque laboranti subueniret & succurreret: quæ vt dignitate nulli alii cedit, sic necessitate & vtilitate pleraſque post se relinquit. Itaque cum Philosophiæ professioni ab Amplis. in Rep. Dantiscanâ senatu adhibitus ad Ethicam publicis prælectionibus illustrandam accessisset, hoc* Methodicum disciplinæ Ethicæ Systema *concinnauit, & iis qui tum in Philosophia ipsi operam dabant (in quorum numero & ego me tum temporis fuisse gratus profiteor) publicè prælegit: In quo etsi non ea in omnibus, propter varias & diuersas occupationes, ab eo accuratio præstari potuit, vt non aliqua relicta sint, quæ ipsius autoris iudicio limam requirant, præterquam tamen quòd multis materiis non exigua lux allata, Methodus certè tã dextrè constituta est,*

vt

vt facilè omnibus ordinis amantibus ſatisfactum putemus. Vtvt ergo ipſe ante recognitionem operis à ſe factam Syſtema hoc minimè euulgandum putauerit, veritus, ne quis nimia iudicii auſteritate in imperfectum, inlimatum, & ad libellam non compoſitũ animaduerteret: tamen cum hac ratione fructum intercipi viderem, quem interea ex huius libri lectione multi percepturi eſſent, facilè aliud mihi perſuaſi, non dubitans, quin te quoque, Lector humaniſſime, ſententiæ huius adſtipulatorem eſſem habiturus: qui interea his, qua decet animi gratitudine, mecũ frueris, vſque dum autori ipſi ea per otium recognoſcere & perficere licuerit. Quod vt breui fiat, ſcio vnicè mecum in votis habes. VALE.

GEORGIVS PAVLI
Dantiſcanus.

INDEX CAPITVM
Systematis Ethici.
LIBRI PRIMI

Cap. Pag.

I. DE Virtute morali in genere; & in specie de virtute dirigente. 46

II. De essentialibus propriis, deque effectis Virtutis moralis 74.

III. De Virtute dirigente in genere; & primò quidem de Prudentia 94.

IV. De Iustitia vniuersali siue directrice 120.

LIBRI SECUNDI.

DE Virtutibus moralibus particularibus: vbi de Temperantia 132.

II. De αὐταρκείᾳ 137.

III. De Modestia & Magnanimitate 141.

IV. De Sedulitate, Tolerantia & Fortitudine 155.

V. De Iustitia distributiua & commutatiua 169.

VI. De Liberalitate & Magnificentia 186.

VII. De Comitate & Vrbanitate 195.

VIII. De Mansuetudine 201.

IX. De Veritate, seu Veracitate & Taciturnitate 270.

X. De Ciuilitate & Grauitate 220.

LIBRI TERTII.

I. DE virtutibus imperfectis in genere; & in specie de Pudore & Verecundia 223.

II. De virtutibus imperfectis quoad alios, siue de Sympathia, Immunitate ab Inuidia, Immunitate à suspicione 228.

III. De quasi virtutibus, seu virtutibus imperfectis, partim quoad nos, partim quoad alios 236.

IV. De Continentia & Tolerantia 240.

V. De Virtute Heroica 249

VI. De Amicitia propriè & perfectè dicta 259

VII. De Amicitia imperfecta, quæ est ex iucundo & vtili. 279

SYSTE-

SYSTEMATIS ETHICI PRÆCOGNITA GENERALIA

PHilosophia Practica est compages Prudentiarum siue disciplinarum Practicarum, quibus voluntas & affectus hominis componitur ad bonum ciuile in hac societate humana.

Prudentia autem ista, cuius compages est Philosophia Practica, spectatur vel absolutè ac respectu cuiusque hominis in singulari: vel relatiuè ad certam aliquam societatem in humano genere.

Illa porrò prudentia, quæ absolutè & in singulari spectatur, dicitur Ethica: *quæ nihil aliud est quàm* Prudentia regendi voluntatem & appetitum pro bono ciuili acquirendo.

Quare duo hîc nobis præcognoscenda sunt: 1. Obiectum, circa quod versatur Prudentia Ethica: 2, Finis, qui in istud obiectum est introducendus.

Canones pertinentes ad distinguendum finem disciplinæ Ethicæ, à fine sacrosanctæ Theologiæ, sunt hi.

1 *Felicitas seu bonum hominis, est vel principale, vel minùs principale, & instrumentarium.*

2 *Bonum principale dicitur id, quod hominis finem principaliter spectat, quodque adeò intus hominem perficit: Id enim propriè bonum dicitur, quod cum cuiusque rei essentia & naturæ interiori maximè conuenit, & ad quod quælibet res condita est.*

3 *Bonum porro principale iterum est vel absolutum & simpliciter summum, vel restrictum, & secundum quid summum.*

4 *Bonum simpliciter & absolutè summum, est vnio cum Deo, siue fruitio Dei secundum intellectum & voluntatem, quod bonum aliàs* æterna salus, & æterna vita, *seu* beatitudo *dicitur.*

De hoc summo bono & beatitudine æterna propriè & homogenèe tractatur in sacra Theologia: cuius disciplinæ finem & media, seu præcepta distinguere oportet à fine & præceptis disciplinæ Ethicæ. Id tantum hoc loco subiicimus, quòd bonum hominis absolutum non possit esse aliud, quàm vnio seu participatio & fruitio Dei. Etsi enim homo omnia possideat, quæ sunt in mundo, nondum tamen simpliciter absolutè beatus est; quia nempe restat adhuc quiddam maius & vlterius quod appetat: Quamdiu autem aliquid restat, quod homo possit appetere, nondum simpliciter beatus esse potest; quia bonum summum & absolutum sistit ac terminat appetitum hominis: Idcirco nulla res finita potest esse bonum hominis absolutè summum, cum nulla res finita terminet appetitum hominis. Vnde concluditur, in solo Deo esse quærendum bonum hominis absolutè summum; quia cum Deus infinitè verus sit, & infinitè bonus, idcirco solus Deus potest satiare & explere hominis intellectum & voluntatem, seu appetitum, cum nempe intellectus nihil attentiùs contẽplatur, quàm Deum, & voluntas nihil amat ardentius, quàm Deum. In quam sententiam præclarè differit Scal Exerc. 307. vbi beatitudinem definit, quòd sit *fruitio seu participatio Dei tanquam summi boni.*

5 *Quia autem hoc bonum absolutè summũ, tantùm incipit in hac vita, & in alterâ demum vita consummatur, ideo propriè ad Philosophiam practicam non refertur; vtpote quæ præcepta præscribit huius præsentis & ciuilis vitæ.*

6 *Sequitur ergo bonum & beatitudo restricta, ac secundum quid spectata, quæque pertinet ad hanc vi-*

tam

tam & ciuilem felicitatem hominis.

7 *Et tale bonum est vel intellectus, vel voluntatis.*

8 *Bonum intellectus est nihil aliud quàm contemplatio veri, siue rectum de reb. iudicium : Quod bonum intellectus non ad Philosophiam practicam principaliter, sed ad Theoreticam pertinet.*

Minimè prætereũda quæstio est; *An rectè Aristoteles in Ethicis & Politicis tractet de felicitate contemplatiua*; quandoquidem, vt canon dicit, bonum seu felicitas intellectus, finis est non Theoreticæ, sed practicæ Philosophiæ. Tractauit quidé Aristoteles de contemplatione in 10. Ethic. itemq; 7. Polit. c. 2. & alijs locis Philosophiæ Practicæ, sed non tractauit per viam præceptorum, neque vt de principali aliqua parte disciplinæ Ethicæ & Politicæ; sed tantùm per viam commentarij, vt nempe collatio institui posset inter felicitatem practicam, siue bonos mores, & inter contemplationem, id est, eruditionem Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam. Ex qua collatione patet, id quod Aristoteles expresse docet sub finem lib. 6. Ethic. & cap. 7. libri 10. Ethic. & cap. 2. lib. 7. Polit. & denique in Procœmio Metaphysicorum, bonos mores atque adeo doctrinam Ethicam, OEconomicam, & Politicam, homines eruditiones cupidos ducere ac præparare ad exercitia arduarum cõtemplationum & meditationum Metaphysicarum, Mathematicarum, & Physicarum, quas contemplationes is demum feliciter expedire potest, qui Practicam felicitatem acquisiuit; id est, qui cupiditates suas & affectus rectè potest componere & moderari; qui temperanter viuit, qui bonus est œconomus, & diuitijs instructus, qui denique in tranquilla & pacata viuit Republica.

9 *Respectu voluntatis & appetitus, summum bonum, de quo hîc agimus, constitutum est in exercitio virtutum moralium, siue in bonis, compositis, & honestis moribus.*

10 *Itaque discrimen est inter felicitatem hominis absolutam, quæ non tantùm bonos & honestos mores, sed etiam pietatis exercitia requirit, & inter felicita-*

tem

tem Ethicam, quæ contenta est exercitio virtutum moralium, seu probatorum morum, vnde & rectè Theologi inter bonum morale *&* bonum gratiæ, *seu* spirituale, *distinguunt.*

Hîc verò vna ex grauissimis controuersijs etiam breuiter nobis tractanda fuerit; *An nempe Christianorum Ethica sit distincta à Theologia; & an totum illud, quod in Philosophia Practica docetur, rectius & cõuenientius tractari possit in Theologia.* quam controuersiam qui rectè potest expedire, is demum perspicuè intelliget, quid sit Philosophia Practica, & quibus terminis à sacra Theologia distinguatur. Tuemur autem sententiam affirmatiuam, quod nempe Ethica reuera sit distincta à sacrosancta Theologia. Quod probamus eo argumento, quia tota Philosophia Practica à Theologia distingui debet. Totam autem Philosophiam Practicam à Theologia distingui, probamus ex eo; quia omnes partes Philosophiæ Practicæ à Theologia distinguuntur, nempe non Ethica tantum, sed & Oeconomica & Politica. Ac primo quidem, quod Ethica distinguatur, probatur à fine Ethicæ & Theologiæ, tali Syllogismo: *Quarum disciplinarum fines sunt distincti, eæ ipsæ distinctæ sunt: Atqui Ethicæ & Theologiæ fines sunt distincti: Ergo ipsæ quoque sunt distinctæ.* Maior est principium Logicum. Minor probatur; quia bonum morale est distinctum, à bono spirituali, ipsis Theologis vltro fatentibus; Theologiæ autem finis bonũ gratiæ; finis autem Ethicæ est bonum morale seu ciuile. Accedit alterum argumentum ab obiecto: Nam Theologia versatur circa interiorem hominis affectum ad imaginem Dei penitus reformandum, atque adeo circa cultum Dei internum; Ethica verò versatur circa mores externos in ciuili hominum societate, atque adeo cõcluditur terminis huius præsentis vitæ, & tradit præcepta pro mensura huius vitæ; Theologia autem neutiquam huius vitæ terminis concluditur, sed rationem monstrat benè moriendi, & in aliam vitam ingrediendi. Probatur idem à subiecto; Nam subiectum Ethicæ disciplinæ est vir probus, bonus ac honestus; Subiectum autem Theologiæ, est vir pius & religiosus: Et sunt multi viri boni & honesti etiam inter Turcas, qui temperantiam, fortitudinem & alias virtutes Ethicas exercent

cent, & coram mundo inculpatè honestéque viuunt, qui tamen respectu Theologiæ, sunt desperati; & nisi conuertantur, in æternum infelices futuri; quales etiam fuerunt Heroes in Græca & Romana historia, nempe Aristides, Scipio, & alij. Autoritas etiam D. Apostoli pro argumento sit, qui 1. Tim. 2. expressè discernit inter pietatem & honestatem, & ait precandum esse pro magistratu, vt sub ipso piè & honestè viuamus. Sed & aliud argumentum est à discrimine amicitiæ; siquidem nemo negat differre amicitiam ciuilem ab amicitia spirituali, & Theologica: si autem amicitia Ethica differt ab amicitia Theologica, vtique etiam disciplina tractans de amicitia Ethica, reuera distinguitur ab ea disciplina, quæ tractat de amicitia spirituali. Et hactenus quidem de discrimine Ethicæ & Theologiæ. Oeconomicam disciplinam differre à Theologia, ex eo probatur; quia legitimum & tranquillum coniugium potest esse etiam inter Ethnicos. Politicam differre à Theologia, probamus eo fundamento, quia regimen Politicum differt à regimine Ecclesiastico; quia pax Politica constare potest etiã in dissensionibus Ecclesiasticis: quia supplicia politica & pœnæ ac iudicia exerceri possunt, saluâ caritate Christianâ: quia etiam iurisprudẽtia, quæ est riuus Ethicæ & Politicæ, multis modis differt à sacrosancta Theologia. Quare concludimus, nisi quis Ethicam à Theologia distinguat, eum iura diuina ab humanis non distinguere, ac Oeconomicam & Politicam, imò & Iurisprudentiam facere partes Theologiæ: quod sanè alienum esse omnes fatebuntur.

II *Etsi ergo Ethica differat à Theologia, tamẽ cum ea neutiquã pugnat; nam boni mores nõ repugnant pietati, sed potius ad pietatẽ animũ hominis præparant.*

Ethica, vt notum est, dicitur à *moribus*, quasi dicas, *moralis disciplina*, per quam nempe mores hominũ componuntur. Quare qui opinãtur Ethicã repugnare S. Theologiæ, quid aliud aiunt, quã bonos mores esse aduersos pietati? Quòd si boni mores repugnent pietati, necesse est rusticitatem & barbariem, imò omne genus flagitiorum, quo turbatur hæc humana societas, amicum esse pietati. Quin ergo contra potius ita sentiamus, vt omnes sani sentiunt, bonos mores esse præparationẽ & viam ad veritatem: vnde nempe Deus ipse hunc

processum seruat, vt quas gentes vult illustrare luce religionis & pietatis, eas primò curet ad animi & morum mansuetudinem, adeóque & humanitatem adduci, quod in Borussia, Liuonia, & alibi olim factum est, & hodie fit in America, & Indiis orientalibus.

12 *Porro ista tota Beatitudo ciuilis nunc post lapsum planè imperfecta est, si consideretur respectu eius beatititudinis, quam S. Theologia docet: Neque facit ad salutem æternam, si sola per se consideretur; sed facit tamen ad conseruandam humanam societatem, & ita aliquid perfectionis ei tribui debet, nempe respectu mensuræ huius vitæ, siue societatis humanæ in hac vita conseruandæ.*

Quod diximus, bonos mores esse præparationem ad pietatem, id non ita intelligi debet, quasi boni mores principaliter & soli ad æternam salutem faciant, id quod repugnat Apostolo 1. Cor. 4. dicenti: *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus.* Fatemur ergo imperfectam esse beatitudinem ciuilem, si conferatur cum beatitudine æternâ; sed interim tamen suam quoque perfectionem, id est, rationem summi boni & finis retinet, si consideretur secundum mensuram huius vitæ, & huius ciuilis societatis in humano genere. Et quamuis in vno homine omnium virtutum exercitia non dantur, tamen si omnes homines collectim sumas, aggregabitur suis diuersis partibus & complebitur ista ciuilis felicitas: In vno enim homine dabitur perfectum exercitium temperantiæ: in altero perfectum exercitium fortitudinis, in tertio perfectum exercitium liberalitatis, donec ex diuersis hominum benè moratorum individuis, & exemplis tota beatitudo ciuilis aggregetur.

13 *Et est inter virtutes Ethicas & Theologicas distinctio graduũ, ita vt, quod deest virtutib. Ethicis, id per disciplinã Theologicã addatur & compleatur.*

Grauissima quæstio hîc occurrit: *An virtutes Ethicæ, atque adeò etiam Ethica beatitudo aliquã connexionem & cohærentem habeat cum virtutibus Theologicis*, cum præsertim August. lib. 15.

lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 25. dicat, *virtutes nisi ad Deum referantur, non sunt virtutes.* Et Hieron. *Sine Christo omnis virtus vitium est.* Qua de re etiam Danæus tractat libro 1. Ethicæ Christ. capit. 1. Distinguendum autem fuerit inter id quod est per se, & id quod est per accidens. Per se virtus, atque adeò etiam actio virtutis moralis, reuera est bonum quiddam & imago Dei in homine; atque adeò quidam gradus virtutis Theologicæ, quæ virtus Theologica est consummatio & cõplementum virtutis moralis: nec aliter se habet virtus moralis ad virtutem spiritualem seu Theologicam, quàm se habet tepor ad feruorem, & lux matutina ad lucem meridianam. Sicut ergo tepor est verus calor, etiamsi non sit tantus calor, quantus est feruor; & sicut lux matutina est vera lux, etiamsi non sit tanta lux, quanta lux meridiana: Ita virtus moralis per se est vera virtus, & verum bonum, etiamsi non sit tanta virtus & tantum bonum, quanta virtus & quantum bonum est spirituale seu Theologicum. Vnde sequitur, non esse damnandam virtutem ciuilem, aut pro vitio ducendam, sed potiùs perficiendam pietate, vt gradus excellentior accedat ad gradum remissiorem. Et concesserim vltrò atque lubens, ad eam doctrinam, quam Aristoteles & alii Ethnici de virtutibus tradiderunt, plurima assumenda esse ex S. literis, per quę ista doctrina ab Ethnicis tradita completur, aut etiam corrigitur: Id quod non tantùm in Ethicis faciendum est, sed etiam in OEconomicis, Politicis, imò etiam Physicis & aliis disciplinis: siquidem in S. literis, vt suo loco monuimus, non tantùm continentur Theolog. sed etiam Ethica, OEconomica, Politica, Physica ac Astronomica Theoremata. Nec improbo præclarum institutum clariss. virorum *Philip. Melanchthonis, Lãberti Danæi*, & aliorum præceptorum nostrorum, qui collationem boni moralis & spiritualis, i.e. Ethicæ & S. Theologiæ instituerunt, modò in ista collatione maneat distinctio inter id quod reuera Ethicum est, & id quod reuera ad Theologiam pertinet. Per Accidens autem nempe ratione istius Subiecti, in quo virtus Ethica habitat, fieri potest, vt virtus degeneret in vitium, siue vt is, qui beatitudine ciuili præditus est, in æternum damnetur, non virtutis culpâ, sed sua culpâ: quia nempe bono morali non addidit bonum spirituale, & quia virtutem moralem non direxit ad

Dei

Dei cultum, nec exercitia virtutis edidit ex fide in Christum, sine qua fide nemo potest placere Deo : subintellige ad æternam salutem . Nam quod ad societatem huius vitæ attinet, magis sanè Deo placuit Scipio quàm Sardanapalus, nec dubium est quin Scipionis pœna æterna tolerabilior sit futura, quã Caligulæ , Neronis & Sardanapali. Breuiter ergo respondebo; virtus moralis sola & per se cõsiderata, non est vitium, sed honestum quid: considerata autem per Accidens , ratione personæ Ethnicæ & Deo non placentis, quoddã in se vitium recipit: sicut vinum per se bonum infusũ in vas fœtidum, fœtore imbuitur propter illud vas. Atq; hæc quidem omnia, quæ hactenus de bono ciuili seu morali, deq; eius à bono spirituali differentia docuimus, eũ vsum præstabunt studiosis Ethicæ, vt possint iudicare de censuris rigidiorib. quibus *L. Viues* & ex huius ore *Aud. Talæus* & alii perstringunt Aristotelẽ & condemnant penitus totam eius doctrinam de felicitate siue bono summo ciuili. Quam censurã *Ludouic. Viuis* legere studiosi possunt li. 6. de causis corruptarum artium. Nam etsi in ea censura iniquior planè sit in Aristotelicam doctrinã, & confundat Ethicam cũ Theologia: tamen multa interim habet præclara monita contra abusum istũ Ethicæ Aristoteleæ, qui fuit tẽpore maiorum nostrorum sub tenebris Papatus, & contra pruritum istum disputandi & argutãdi in Philosophia morali: qui pruritus apparet in Scholasticorũ scriptis. Atq; hæc hactenus de Bonitate ciuili nostra fuit sententia , quæ à sententia Aristotelis nihil discrepat, sed eam potiùs explicat & illustrat: id quod patet ex cap. 4. 5. 6. 7 primi Ethicor. vbi cum disputasset Philosophus beatitudinẽ ciuilem non consistere in voluptate , nec in honore , nec in diuitiis, aut in habitu virtutis vel idea , sed in exercitio virtutis, tandem cap. 6. Beatitudinem his verbis definit: Εὐδαιμονία ἐστὶ ἐνέργεια ψυχῆς λογικῆς κατ' ἀρετὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην ἐν βίῳ τελείῳ. *Beatitudo est operatio animæ rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimã in vita perfecta.* Vbi 1. quod ad nomen attinet, Beatitudinem vocat εὐδαιμονίαν, quasi dicas talem statum hominis, in quo ad Dei naturam & imitationẽ præparatur: de quo vocabulo vide plura apud Picolom. Grad. 9. Philosophiæ Moral. cap. 2. Hanc ergo εὐδαιμονίαν Aristoteles definit genere & causis . Genus est vel propinquum

Virtus moralis considerata dupliciter

Duo sunt fõtes errorum in disputat. Lu. Viuis & Aud. Talæi contra Arist. doctrinam Ethicam. Prior fons est, quod existimarint opponi inter se bonum morale seu beatitudinem ciuilem , & beatitudinem æternam: cum tamen nõ sint ista opposita, sed subordinata, neque agit Ethica de bono absolutè & simpliciter summo , de quo agit Theologia, sed de bono secundũ quid, & respectu societatis in hac

quum vel proximum. Genus propinquum est ἐνέργεια, operatio, exercitium & efficacia: nam rectè dicitur, *beatitudinẽ esse efficaciã virtutis.* Proximũ genus est operatio rationalis: nam beatitudo non est quarumuis rerum operatio, sed eius tantùm animalis, quod dicitur præditum ratione. Causa deinde efficiens additur, nempe virtus, seu habitus virtutis, aut possessio virtutis. Sed causæ isti duo requisita in definitione adduntur, vt intelligamus non quamuis possessionem virtutis efficere beatitudinem. Prius requisitũ est, vt sit virtus perfecta, à longo vsu comparata, & suis gradibus superioribus ac summis prædita, (subintell. quoad mensuram huius vitæ, de qua loquitur Philosophus.) Alterum requisitum est, vt illa virtus sit in vita perfecta. Per vitam autem perfectam duo intelligit: primò constantiam & perpetuitatem virtutis, quam sub finem ea illustrat hac similitudine: Sicut vna hirundo non facit ver: ita vna & interrupta actio virtutis non facit beatitudinem, sed oportet actionem virtutis esse continuatam & perpetuatam, sicut oportet multas aduolare hirundines, si plenũ ver esse debeat. 2. per vitam perfectã, intelligit vitam instructam adminiculis, occasionib. & instrumentis virtutũ: qualia instrumẽta sunt bona valetudo, & robur corporis, mediocres opes, cõmoditates vitæ, itẽq; honor & dignitas. Similis definitio beatitudinis quoad rem, si non quoad verba 7. pol. c. 1. & 3. extat. Boetius li. 3. de Cõsolatione eiusmodi definitionẽ beatitudinis tradit, quòd sit status omniũ bonorũ aggregatione perfectus, vbi quidẽ Boetius in definitione felicitatis includit etiam bona secundaria, siue minus principalia & instrumentaria, nempe *Valetudinem, Honorem & Diuitias*: quæ etsi ad essentiam felicitatis non pertineant, pertinent tamen ad eius integritatem, vt infra dicetur vberiùs; Cæterùm post Arist. tempora, circa doctrinam de summo bono vsq; adeo insanitũ est à Philosophis, vt M. Varro scribat, iam suo tẽpore Philosophorũ diuersas de sũmo bono opiniones numeratas esse 288 id quod Philosophis ẽt grauiter exprobat August. ibi. 19. de Ciu. Dei c. 1. Sed inter istas opiniones 4. fuerunt principales, & ad quas reliquæ omnes videntur reduci posse. Prima fuit Socratis & Platonis, qui statuebant *summum bonum esse contemplationem Ideæ summi boni*: vbi quidem si per *ideam*, vt nonnulli volunt, intellexerunt ipsum Deum, dixerunt quidem aliquid Socrates & Plato,

vita. Alterius fons erroris est quod non distinxerint inter Ethicam & Theologiã atque adeo cõfuderint bonũ spirituale cum bono morali, externã vitæ honestatẽ cũ interna pietate. Quos duos fontes qui nouerit, nullo negotio soluet contraria Lud. Viuis & Talæi argumenta.

sed non omne dixerunt. 2. non id dixerunt, quod ad Philosophiam practicam pertinet immediatè, vtpote cuius finis non est contemplatio, sed praxis. Altera sententia fuit Epicureorum, *qui summum bonum dicebant esse positum in voluptate*: vbi quidem, si voluptatem illam intellexerunt, quæ est gaudiū mentis ob rectè cogitata, dicta, aut facta, vti quidē opinionem Epicuri Laertius, Seneca, Eras. in colloquiis interpretātur, non est ista quidē penitus dānanda sententia, tanquā absurda, sed corrigēda tamē vt minus accurata: vtpote quæ nō discernit summū bonum ab effectu sūmi boni, de quo paulo post. Sin verò, vt pleriq; alii autores Epicurū intellexerunt, *voluptatē eam* dixit, *quæ est cōmunis homini cū bestiis*, quæq; ex cibo, potu & venere oritur, tū ista non hominis, sed pecudis vox est: contra quā disputandū non est, cum absonū sit hominē cū pecude disputare. Tertia opinio de sūmo bono est Stoicorū, qui tamē diuerso tempore diuersis phrasib. & locutionib. vsi sunt. Interdū. n. dixerunt summū bonum esse positum in habitu virtutis, & sic cōtra eos disputat Aristot. lib. 1. Ethic. ca. 5, & argumentum contra hanc sententiā hoc mihi principale videtur: *Medium tendens ad finem, non est ipse finis: At habitus virtutis est medium tendens ad finem, nempe beatitudinem: Ergo non est ipse finis.* Minorem probo, quia non potest dari aliud medium tendens ad beatitudinem, quàm virtus & amicitia, sicut ex toto corpore Ethicæ apparebit. Interdum Stoici dixerunt beatitudinem esse *congruentiam cum Natura*, interdum *congruentiam cum Deo*, interdum *conuenientiam* absolutè, quam ὁμολογίαν suo quodam termino vocarunt, interdum *vitam secundum virtutem*, interdū denique *indolentiam*: Nam voluptatem noluerunt dicere, qui existimarent indignum esse viro bono voluptatem quærere etiam eam quæ est animi. Videāt studiosi Ethicæ has sentētias Stoicorū pulcherrimè tractatas à *I. Lipsio* libro 2. Manuduct. ad Philosophiam Stoicam, capite 13 & sequente. Mihi quidem videtur verissimum esse, quod ex Cicerone commemorat P. Victorius lib. 7. variar. lection. cap. 7. & Volaterranus lib. 14. c. 2. & Franc. Pic. Grad. 1. Philosophiæ Moral. Stoicos Philosophiam totam à Peripateticis transtulisse, & signa tamen seu verba mutasse; atque adeò cū in hac sententia de summo bono, tum in aliis etiam doctrinæ Ethicæ partibus, ac in in primis in quæstione de

Affectibus, magis verbis quàm re ipsa ab Aristotele dissentire: id quod Laertius etiam non obscurè innuit libro 7. de vita Philosophorum. Quarta denique sententia est Aristotelis & Peripateticorum, qui finem Philosophię Practicæ, atque adeò summum bonum respectu huius vitę consideratum statuunt esse exercitium virtutis; quam sententiam hucusque probauimus & illustrauimus.

Immediatus effectus summi boni ciuilis est voluptas Practica, siue tranquillitas ciuilis, quâ homo suauiter acquiescit in exercitio virtutum.

Canones de voluptate practica sunt hi:

1 *Voluptatem hoc loco specialiter sumimus pro recta conscientia, & gaudio ac lætitia ea, quæ conscię-tiam rectè factorum necessariò sequitur.*

Id enim Deus animis hominum implantauit, vt ex bonis moribus & vita honesta internam lætitiam concipiant, sicut legimus concepisse Scipionem Africanum, Camillũ & alios virtute præditos viros, etiam tum, quando in exilio & alijs calamitatibus vixerunt. Contrà horrendos animi cruciatus percepit Nero, Caligula, & alij virtutis ac honestatis hostes. Nempe discrimen honestorum & turpium etiam in ijs perpetuò manet qui pietate carent; Id quod etiam manifestè probat esse discrimen inter bonum spirituale & morale, atq; adeò inter Philosophiam Practicam & Theologicam; siquidem alia est pax conscientiæ, de qua Theologia tradit; & conscientia honestè factorũ, de qua docet Philosophia Practica, & de qua multæ passim extant sententiæ Poëtarum & Oratorum.

2 *Comprehendit ergo voluptas practica in sese 1. conscientiam rectè & honestè factorum; vbi quis nouit & certus est sese honestè & rectè vixisse, ac fecisse. 2. pacem & tranquillitatem voluntatis & affectuum; cum nempe quis nullas pœnas in hac vita metuit, sed præmia potiùs honestè factorum sperat. 3. cõprehendit amorem virtutis ac felicitatis. denique 4.*

lætitiam & gaudium, quo quis sibi gratulatur de rectè factis, inq; ijs suauiter acquiescit.

Non est mala definitio Thomæ Aquinatis, dicentis; *voluptas est quietatio mentis in vltimo fine.* Et dignum est obseruatione, quod addit, duo requiri ad plenam voluptatem. 1, vt res amata sit sufficiens ad perfectionem; siue, vt sit plena & integra suis partibus 2. vt sit etiam perfecta gradibus. Qui enim habet omne id quod amat, & tantum habet, quãtum cupit, is perfectè gaudet.

3 *Summum hominis bonum sine summa iucunditate & voluptate non datur; & quamuis summi boni essentia non consistat in voluptate, tamen voluptas essentiam summi boni immediatè ac necessariò & indiuiduè sequitur, non secus ac lumen sequitur lucem.*

Et sic agimus hîc de voluptate non vt de summo bono ipso, sed vt de effectu proximo è summo bono emanãte & profluente; quomodo etiam de voluptate tractat Arist. 10. Ethic. cap. 4. & 5. vbi voluptatem appellat *consequens perfectæ operationis.* Et est causalis definitio, in qua causa ponitur loco generis, ea quæ extat Ethicorum cap. 12. vbi inquit Philosophus *Voluptas est functio non impedita, promanans ab habitu tali, qui est secundum naturam. Est*, inquit, *Voluptas functio non impedita* id est, voluptas est effectus promanans ex bene disposita, plena, & libera operatione seu functione. Cæterùm, quia summum bonum sine voluptate esse non potest; Ideo Ethici tam veteres, quàm recentes nonnulli, voluptatem faciunt summi boni seu beatitudinis partem, & dicunt summum bonum esse positum simul in actione virtutis & voluptate: & pro hac sententia allegant loca Aristotelis, quæ idem videntur affirmare, vt 7. Politicorum cap. 1. *Beata vita siue in voluptate posita est, siue in virtute, siue in vtroque*; & 10. Ethicorum cap. 4. similis locus extat, vbi quasi dubitat Philosophus, *an non voluptas sit summum bonum.* Respondetur autem, voluptatem consequi quidem summum bonum, sed non tanquam finem vlteriorem, neque tanquam bonum aliquod perfectius, sed tantùm vt affectum animi in homine à summo bono productum; & simul tanquam illecebram aliquam & inuita-

men-

mentum, quo homines allici debent ad ſummum bonum quærendum. Quod vt intelligatur, exemplum & ſimile capi poteſt à nutritione: Nam cum homo per cibum & potum ſuauiter nutritur, adiũcta eſt iſti nutritioni voluptas corporis, quæ tamen voluptas non eſt melior ipſa nutritione Nec homo cibo & potu vtitur, vt voluptate afficiatur, ſed vt viuat & individuum conſeruet; imò ne beſtiæ quidem per ſe expetunt voluptatem cibi & potus, ſed tantùm propter naturæ ſuæ conſeruationem; quod Stoici etiam Epicuro leguntur obiecisſe. Quò pertinet egregia ſententia Alexandri 4. Nat. quæſt c. 26. *Non honeſtum in gratiam voluptatis, ſed voluptas in gratiam honeſti eſt optanda; & ab honeſto voluptas recipit perfectionem, non contrà honeſtum à voluptate: Itaque qui voluptatem ſibi finem præſtituunt, conditionem & ordinem rerum peruertunt.* Sed iam addamus vnum & alterum argumentum: *Summum bonum eſt obiectum animæ rationalis ſiue voluntatis humanæ, ſicut verum eſt obiectum intellectus: Sed voluptas non eſt obiectum, ſed affectus animi. Ergo voluptas non eſt ſummum bonum.* 2. *Id eſt bonum, vnde boni dicimur: At à voluptate nemo bonus dicitur: Ergo voluptas non eſt ſummum bonum.* 3. *Summum bonum eſt honore dignum.* 1. Ethicorum. 10. *At propter voluptatem nemo honoratur: Ergo*, &c. 4. Denique *id quod eſt cauſa vt alterum ſit bonum, id eſt maximè bonum: At verò ſummum bonũ eſt cauſa, cur voluptas laudetur, & probetur vt bona: Ergo neceſſe eſt beatitudinẽ magis bonam eſſe quàm voluptatem.* Quod ad loca Ariſtotelis attinet, in quibus dubitanter loquitur, ita vt certi nihil ſtatuat, vtrùm voluptas ſit ſummũ bonum, necne; ex iis nihil probari poteſt, quia textui deciſiui tãtùm probant, nõ dubitatiui. Et declarat aliàs ſe Ariſtoteles ſatis perſpicuè, quòd voluptatem ſtatuat, eſſe effectum immediatum ſummi boni, ſicut antè citauimus locum ex cap. 10. Ethic. Qui plura volet de hac materia, legat Picolo. Grad. 9. Philoſophiæ moral. cap. 16. & ſeqq. aliquot. Cæterùm de voluptate honeſtatẽ conſequente, pulcherrimè diſſerit Plut in Opuſc. de Amor. diuit vbi inquit: *viris gaudium domeſticum parit, ſiue videat aliquis, ſiue latcat omnes homines.* Contrà de Triſtitia inſequente priuationem & carentiam virtutis, atque adeò comite flagitiorum & ſcelerum, idem inquit in opuſculo De virtute & vitio: *Quanquam*, inquit,

mali voluptatibus & lusibus oblectentur, parum nihilominùs ab iis differunt, qui in vinculis reseruati talorum ludo & genio indulgent, at interea sibi super capite finem imminentem habent.

Tantum etiam de affectu summi boni, nempe de voluptate; Restat vt agamus de bono secundario, seu minùs principali, nempe de tali bono, quod est adminiculum & instrumentum actiones virtutis commodiùs & faciliùs exercendi.

Bonum secundarium seu minùs principale, est vel ipsius vitæ, & dicitur libertas; *vel corporis, & dicitur* Sanitas; *vel possessionis, & dicitur* diuitiæ; *vel dignitatis, & dicitur* honor.

Libertas est ius ac potestas, quâ facilè & expeditè actiones virtutis omni loco & tempore, & in omne obiectum exercere concessum est.

Libertati opponitur seruitus, mancipatio & captiuitas, quę sunt magna impedimenta felicitatis; Qui enim seruus est, non tam suo, quàm alterius nutu virtutem exercet; Qui verò captiuus est, nec vbi vult, nec quando vult, nec in omnes, in quos vult, libertatis, fortitudinis, & aliarum virtutum specimina edere potest, ita vt merito dicatur aurea libertas.

Bonum corporis, siue sanitas consistit in duobus. 1, quidem in bono temperamento omnium humorum, & partium corporis. 2, in recta omnium membrorũ conformatione & proportione.

Axiomata de Bono sanitatis sunt:

1 *Omnium secundariorũ bonorum fundamentum est sanitas, seu bona valetudo, vtpote sine qua nec libertate sua, nec diuitijs, nec dignitate quis vti frui potest.*

Verissimè dixit Plato, quòd *valere sit primum bonum in vita.* Et Cic. *Opus est te corpore valere, si animo velis.* Et præstantissimi Medici Fernelij sententia memorabilis est; *Maxima pars fœlicitatis est bene nasci*, id est, nasci bono temperamento

&

& sano corpore; *Mores* enim *animi sequuntur temperamentum corporis*, inquit Medicorum princeps Galenus.

2 *Ex apta proportione membrorum, si aliqua coloris suauitas accedit, oritur pulchritudo, quæ etiam instrumentum est virtutis minimè contemnendum.*

Iuxta illud Poëtæ: *Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.*

Sequuntur Bona possessionis, seu fortunæ, quæ partim posita sunt in diuitijs, partim verò in alijs facultatibus ad vitæ commoditatem, & virtutis exercitia sufficientibus.

De his Axioma est; *Diuitiæ & facultates per se quidem ad hominis perfectionem non pertinent tanquàm causæ principales; sed tamen pertinent in comparatione sui vsus, tanquàm instrumenta virtutis simul & acquirendæ & exercendæ.*

Diligenter distingui debet inter essentiam felicitatis & inter eius integritatem. Ad essentiam felicitatis non pertinent bona externa, sed sufficit sola virtus & eius exercitium; sed interim tamen pertinent illa externa bona ad felicitatis integritatem; sicut ad essentiam hominis non pertinet hoc, vt habeat quinque digitos in vtraque manu: sed tamen pertinet hoc ad hominis integritatem, ita vt si tantùm quatuor digitos habeat, non sit integer, sed mutilus homo. Ita quoque potest quis virtute esse præditus, etiamsi sit pauper; at verò ita libera, expedita, & plena exercitia virtutis obire non potest, ac si esset facultatibus sufficientibus instructus. Acquirere potest inops studiosus doctrinam, sed ita facilè, ita expeditè acquirere non potest, vt alter Studiosus, qui facultatibus sufficientibus instructus libros necessarios coëmere, præceptores excellentes conducere, ac varias gentes & scholas adire potest. Idem cogitandum est de virtutibus moralibus, quod iam de Eruditione dicebamus. In ea sententia Plato fuit, & post Platonem Aristot qui 2. Rhetoricorum, cap. 16. diuitias vocat *felicem amentiam*; nempe si ijs non rectè vtaris. Nam si rectè vtaris, dicit easdem diuititias esse instrumenta virtutis, sine quibus virtus cõmodè in humana vita exerceri plerumq;

non potest, lib. 1. Eth. c. 8. lib. 5. Ethic. c. 5. vbi diuitias & nummum vocat *normam & regulam multarum commoditatum in vita, sponsoremque contractuum.* Et. 1. de Rep. cap 5. Politicarum virtutum necessaria instrumenta docet esse opes Idem repetit 7. Politicor. c. 1. & c 13. Et c. quidem 1. egregia sunt verba: *Cum tria*, inquit, *sint bonorũ genera, externa siue fortunæ, corporis, & animi; ista omnia adesse fœlici homini oportet.* Sed memorabile est quod 1. Rhetoricorum ad Theodect inquit: *Diuitem esse, magis in vtendo quàm in possidendo consistit:* quasi dicat, diuitias nihil esse, & per consequens, nec boni nomen mereri, nisi quatenus actu sint instrumenta virtutis. Cicero libr. 1. Acad. quæst scribit hanc fuisse Academicorum Philosophorum sententiam; quòd in vna quidem virtute posita sit beata vita: non tamen beatissima vita, nisi adiungantur & corporis bona, & cætera ad virtutis vsum pertinentia Stoici verò suo more rigidam sententiam etiam hîc tuentur, ac diuitias inter bona referre nolunt, sic enim Seneca Epistola 71. *Summum bonum quod honestum est, & quod magis admirêre, solum bonum quod honestum est.* Et Epist. 128. *Tam pusilla hæc sunt, vt non conueniat iis boni nomen.* Item Epist. 74. *Virtus nil vacare patitur loci, totum animum tenet, desiderium omnium tollit, sola satis est: omnium enim bonorum vis & origo in ipsa est.* Interim tamen illi ipsi Stoici, & inter hos Seneca in eadem hac materia sibi contradicit. Nam Epistol. 108. inquit: *Diuitiæ non nisi cum honestè administratæ sunt bonæ esse incipiunt.* At verò hoc ipsum est quod volumus & quod Aristoteles docuit, *Diuitias bonas esse in comparatione vsus sui.* Nam aliàs absolutè considerando, diuitiæ inter indifferentia & media numerari possunt; siquidem iis vel malè vel benè quis vti potest. Vnde præclarè Plautus: *Talia hæc sunt*, inquit, *qualis est is qui vtitur.* Etsi ergo suâ naturâ medium quid sunt diuitiæ, tamen eam quoque naturam habent, vt in bonum vsum conuerti possint; proter quam aptitudinem ad bonum vsum meritò etiam quid bonum dicuntur: siquidem & S. literæ disertè diuitias vocant *Donum Dei*, Sic enim Prouerb. 10. *Benedictio Domini diuites facit.* Id quod manifestè repugnat Stoicis, negantibus diuitias esse bonum quid, cum omne donum Dei sit in bonorum genere censendum. Qui plura volet de hac materia, videat *Manuduct. Lipsii ad Philo-*

sophiam Stoicam, vbi pro Stoicis disputanti Lipsio illud vnicum argumentum opponatur, quod iam ex S literis à nobis in medium prolatum est. Cæterùm penè ridiculum est Paradoxum eorundem Stoicorum, quod recenset Cic. 3. De off. *Omnes esse diuites qui cœlo & terrâ frui possunt.* Sic enim & vilissimus quisque vermiculus diues esse posset, & iam illi non essent pauperes, qui fame enecantur. Ita vt de hoc & similibus Paradoxis Stoicis id verissimè dici possit, quod est apud Senecã libr. de Constant sapientis, c. 4 vbi quidam Stoicos ita alloquitur. *Magna in vestris Paradoxis promittitis, & quæ nec optari quidem, ne fieri quidem credi possunt: Dicitis ingentia locuti, cum negatis pauperẽ esse sapientẽ, non negatis solere illi & seruos, & vestem & tectum & cibũ deesse.* Vide eundẽ Lipsium li. 3. c. 2. Manuduct.

Restant bona dignitatis, quæ sunt vel generalia vel specialia.

Dignitas in genere est eminentia vnius hominis super alios homines. Scaliger Exerc. 317. Sect. 3. inquit; *Dignitas est conditio virtutis in persona*, id est, eminentia alicuius personæ propter virtutem.

Bonum dignitatis, seu dignitas generalis iterum est vel maior, vel minor.

Maior dignitas, est tum honor, tum gloria.

Honor, est signum magni affectus ac reuerentiæ erga eum, qui excellentis virtutis gradu, ac meritis in Rempubl. fulget, signum inquam datum ab eo, qui ipse virtute ac prudentia præditus est.

Honoris nomen interdum latè, interdum verò strictiùs accipitur. Latè acceptus honor, comprehendit sub se gloriam, laudem, encomium, bonam famam, denique omnem dignitatem: specialiter verò acceptus honor significat dignitatem cum magno & excellenti gradu, prout in definit expressum est. Cæterùm non tractamus hîc de honore, qui Deo & rebus diuinis debetur; de quo Plato 3. de Legib. *Primus*, inquit, *honor conuenit Deo, secundus animæ*: nec sumimus hîc honorem, pro merito honoris, quo aliquid honore dignum est; Sed sumimus *honorem* pro signo interioris affectionis erga virtutem excellentem, quomodo

sumit Aristoteles locis paulò post citandis, & quomodo honor contradistinguitur laudi & gloriæ.

1 *Honor est omnium bonorum externorum maximum, idcirco & omnes excellentes naturæ ducuntur honoris cupiditate.*

Duo in hoc Axiomate comprehenduntur propria honoris; ex quibus prius est, quòd *Honor sit maximum inter omnia bona secundaria*, sicut docet Arist. 4. Moral. cap. 3. Idem tradit Philosophus 1. Moral. cap. 13. prout etiam 1. Magn. Moral. cap. 2. Quibus in locis tria facit bonorum genera, & quædam bona nominat τίμια, *honorabilia*; cuiusmodi sunt Deus, Mens, & Actio virtutis, sive felicitas: Quædam verò bona dicit esse ἐπαινετὰ, id est, laudabilia, quæ nempe sunt media ducentia ad summum bonum, quale bonum, e.g. secundum Arist. habitus virtutis: Denique quædam bona dicit esse ἀδιάφορα, id est, neutra, quæ neque honorem neque laudem per se merentur, sed eatenus tantùm bona dicuntur, quatenus homines illis bene vtuntur, vt sunt diuitiæ, propter quas nemo honorem aut laudem meretur, si eas in se & per se atque absolutè spectes, & ad virtutis exercitium non referas. Altera proprietas honoris est, quod incendat excellentia ingenia singulari quadam sui cupiditate & desiderio. *Optimus quisque maximè laudis studio ducitur*, inquit Cic. in Orat. pro Archia. Et in Caton. Maiore: *Perfecti homines & excellentibus ingenijs præditi excitantur spe gloriæ*, quæ habet formam honestatis & similitudinem. Quibus locis Cicero sub laude honorē & gloriam comprehendit; neque probat interim vitium ambitionis, vbi quis fertur cupiditate honoris illegitimo modo acquirendi; sed hoc tantum vult, excellentia ingenia ardere amore virtutis excellentis, & quia honor formam in se virtutis habet, ideo quoque ardere cupiditate honoris.

2 *Honor suam causam efficientem & fundamentum habet in affectu interiori, sed ita vt certis & euidentibus signis sese in apertum proferat. Itaq; non is honor est quando caput aperimus, sine animi affectu erga eum cui caput detegimus. Et dicitur esse honor in honorante non in honorato, si nempe causam honoris*

spectes

ſpectes & originẽ, non verò ſi ſpectes ipſum ſubiectũ.

Vt hoc Axioma rectè intelligatur, ſciendum eſt *Honoris* vocabulum complecti in ſe ſignificationem actiuam & paſſiuam, ita vt honor interdum ſignificet honorationem, qua quis alium honorat: quæ honoratio actiua conſtat duabus partibus; 1. interiori affectu honorantis erga honorandum, quo affectu agnoſcit honorans in honorãdo bonum aliquod honorabile. 2. conſtat honoratio iſta externâ ſignificatione interioris affectus, quæ ſignificatio eſt vel in verbis vel in geſtibus: & in geſtibus iterum vel cómunibus omnium gentium, vt eſt genuflexio, vel certarum gentium, vt eſt detectio capitis. Paſſiuè autem acceptum *honoris* vocabulum, ſignificat iſtius affectus interioris, & externorum geſtuum hunc affectum teſtantium, receptionem in eo obiecto quod honoratur. Et ita propriiſſimè hoc in loco honoris appellationem vſurpamus. Vnde etiam intelligi poterit, quomodo accipienda ſit ſententia Ariſtotelis, quæ eſt in 1. Ethic. cap. 5. & quæ hodie eſt in omnium ore, quòd *honor non ſit in honorato, ſed in honorante.* Neque enim hoc voluit Philoſophus, quaſi fundamentum ſiue cauſa, propter quam aliquis honore dignus eſt, ſit in eo qui honorat; ſed hoc voluit docere, ſignificationem externam eius affectus, quo virtutem alicuius perſonæ proſequimur, eſſe in poteſtate eius qui iſtam ſignificationẽ edere debet: vt nempe verbis & geſtibus eam teſtetur aut non teſtetur; ſæpè enim fit, vt quamuis interiore affectu homines virtutem alicuius perſonæ colant; tamen vel inuidia vel periculo impediti interni ſui affectus ſignum & indicium dare vel nolint, vel non audeant; quod cum fit, vtique is, qui honore dignus eſt, impeditur, quo minùs id quod virtuti ſuæ debetur, audeat poſtulare, præſertim cum vulgò dici ſoleat, *Honor ſequentem fugit, fugientem ſequitur.*

3 *Honor præcipuè iis competit, qui clari ſunt meritis in Rempublicam.*

Ita docet Ariſtoteles 8. Ethic. cap. 8. & 13. vbi dicit, Honorem eſſe bonum publicum illis tribuendum, qui beneficia in Rempub. contulerunt. Et huc pertinet præclara illa Ciceronis deſcriptio De claris orator. ad Brutum; vbi inquit; *Honor eſt præmium virtutis, iudicio ſtudioq; ciuium delatum ad aliquem;*

Itaque

Itaque qui honorem sententiis, qui suffragiis publicis adeptus est, is mihi honestus, is honoratus videtur. Et lib. 10. Epist. Famil. ad Plancum; *Is mihi verus honos videri solet, qui non propter spem futuri beneficii, sed propter magna beneficia clarís viris defertur.*

4 *Cum Honore coniuncta est indiuisibli nexu ea honoris species, quæ* autoritas *dicitur: Hæc enim nihil est aliud, quàm potestas multa & magna apud homines impetrandi & efficiendi, promanans ab honore coniuncto cum spectabilitate personæ, & opulentia ac diuitiis.*

Sic de Honore; *Gloria est dignitas, quâ nomen & facta alicuius longè latéque tam in vita, quàm in morte propagantur verbis & scriptis eorum hominum, qui ipsi virtute præditi sunt.*

Facilè ex definitione apparet, quomodo Gloria ab Honore distinguatur: nam honor est præsentium & viuorum præcipuè, ac continetur tantùm vno loco: Gloria verò etiam est absentium & mortuorum, vagatur que per multa loca: nec tantùm fit verbis & gestibus, sed etiam scriptis. Arist. 1. Rhet. c. 5. Gloria, εὐδοξία est virtute præditum à cunctis existimari & tale aliquid in se habere, quod vel omnes appetant, vel saltem viri boni & prudentes. Cic. 3. Tusc. *Gloria est consentiens laus bonorum, & incorrupta vox bene iudicantium de excellenti virtute.* Melanchthon ita gloriam definire solet, *Gloria est approbatio nostræ conscientiæ rectè iudicantis, & aliorum rectè iudicantium de nobis, vel de aliis.*

Sic de dignitatibus generalibus maioribus; Minores sunt Laus, & Bona fama.

Laus est dignitas, quæ tribuitur alicui propter virtutem etiam minùs excellentem; & tribuitur à paucioribus.

Axiomata de Laude sunt.

1 *Laus à gloria sic differt, quòd gloria contineat magnum gradum virtutis & dignitatis: laus autem*

tem minorem gradum : & quòd gloria sit propter multas virtutes, laus etiam propter vnam : denique quòd gloria posita sit in communi hominum voce, aut saltem in voce plurimorum : laus verò etiam in voce vnius siue paucorum.

2 *Solent etiam nonnulli distinguere inter laudem & encomium, quòd laus sit propter habitum virtutis : Encomium verò propter actionem seu vsum virtutis.*

Bona fama est dignitas de mediocri virtute, & immunitate à grauioribus sceleribus.

Bonam famam etiam habere dicuntur ii, qui cum nec honorem, nec gloriam, nec laudem magnam habeant; tamen expertes fuerunt publicorum flagitiorum, nec quenquam enormiter læserunt: Quamuis bona fama sæpè generalissimè vsurpatur, ita vt etiam laudem & gloriam comprehendat. Quacunque significatione accipias, certum est inter bona & dignitates ponendam esse; vnde illud vulgatum: *Omnia si perdas*, &c. Et Plautus in Mostell. *Ego si bonam famam mihi seruasso, sat diues ero.* Et Cicero 3. Officiorum: *Non debet esse res vlla tanta, aut commodum tam expetendum, vt boni viri nomen amittas.* Et 1. Officiorum: *Negligere quid quilibet de se sentiat, non solùm arrogantis est, sed etiam vitæ dissolutæ.* Et tertio de Finibus: *Est hominis ingenui & liberaliter educati, velle benè audire à parentibus, à propinquis, à bonis viris.*

Restat dignitas specialis, nempe Nobilitas : quæ est dignitas in serie certarum familiarum virtutibus præsertim bellicis, & orta & continuata.

Axiomata de Nobilitate sunt.

1 *Nobilitas interdum sumitur pro generositate, siue pro bona animi & corporis temperie, quâ homines singulariter propendent ad virtutes magnas, præsertim bellicas*

Nobili-

Nobilitatis vocabulum interdum generalissimè accipitur pro quauis dignitate, quæ ex virtute proficiscitur, vnde illud Poëtæ Iuuenalis; *Nobilitas sola est atque vnica virtus.* Interdũ verò specialiùs sumitur, pro peculiari dispositione ad virtutes excellentes, & præsertim ad virtutes bellicas: & hanc specialiorem significationem vsurpamus in Axiomate, secuti definitionem Socraticam, quòd *Nobilitas sit bona animi & corporis temperies.* Specialissimè autem nobilitas sumitur pro dignitate, siue serie dignitatis, propagata à certis maioribus ad posteros, prout iam vberiùs dicetur.

2 *Non sumimus autem hîc Nobilitatem pro qualitate, sed pro relatione, siue serie dignitatis à certo aliquo stemmate & capite per naturalem generationem propagata ad posteros, ob istius capitis & stemmatis virtutem excellentem, præsertim bellicam, & præclara in Rempublicam merita; quam dignitatem persona maiestatem habens vel Imperator vel Rex certis solennitatibus contulit, & priuilegijs atque insignibus confirmauit.*

Hinc patet nobilitatem specialissimè dictam, multùm differre à dignitatibus alijs generalibus; Nam 1. aliæ dignitates terminantur in vnâ personâ; nobilitas autem est series dignitatis propagata per multas personas naturali cognatione à se inuicem descendentes. 2, quia aliæ dignitates communes sunt omnibus familijs & generibus hominum; nobilitas autem est certarum solummodò familiarum. 3, quia aliæ dignitates ex omnibus virtutibus oriuntur, nobilitas autem præcipuè ex facinoribus bellicis, aut alioquin magnis in Remp. meritis. 4, quia aliæ dignitates ab omnibus hominibus conferri possunt, qui saltem virtute prædíti sunt; nobilitas autem oritur non nisi ab hominibus in summo magistratu constitutis, & ius Maiestatis habentibus. Denique 5. quia aliæ dignitates sine specialibus solẽnitatibus & priuilegijs dantur; hæc autem singulares suas habet Ceremonias, solennitates, prærogatiuas & priuilegia. Atque ita de Nobilitate loquitur Philosophus 2. Rhet. cap. 15. vbi inquit; *Nobilitas est maiorum splendor & claritas.* Et 1. de Hist Animal. cap. 1. discernens

inter

inter nobilem & generosum; *Nobilis*, inquit, *est, qui ex bono prodijt genere, generosus verò est quòd nõ degenerauit à sua natura.*

3 *Cum ergo Nobilitas sit Relatio, necesse est, vt habeat fundamentum; idq; duplex.* 1, *virtutem excellentem, & præsertim bellicam, eamq; continuatam à primo stemmate ad posteros.* 2, *Collationem dignitatis istius factam à persona habente ius Maiestatis.*

Discerni solet inter Nobilitatem virtutis, & inter Nobilitatem generis, vt in aliquo possit esse nobilitas generis, in quo non sit nobilitas virtutis; Discerni item solet inter nobilitatem personæ, & nobilitatem familiæ. Potest enim alicuius familia esse nobilis, qui ipse est sceleratissimus. Sed mihi placuerit distinctio inter Nobilitatem perfectam & mancam. Nobilitas perfecta est, quæ vtrumque habet fundamentum in Axiomate positum. Manca autem est, quæ tantùm alterum fundamentum habet, nempe collationem dignitatis in stemma familiæ á persona maiestatis ius habente. Etsi ergo verissimũ sit, quod Cic dicit 1. Offic. *Honestũ etiam si nobilitatum non sit, aut si etiam à nemine laudetur, laudabile tamen est suâ naturâ;* Tamen oportet discernere inter virtutem & inter insignia virtutis, & nos confundere nobilitatem specialiter dictã cum ipsâ virtute; idq; 1. vt sit distinctio familiarum in genere humano. 2, propter ordinem Reipublicæ, & propter tempora belli, vt constet, quænam familiæ maiori libertate & priuilegijs gaudeant, & quænam tempore belli exercitum Reipub. adducere debeant. Sicut prudenter de isto discrimine in Republica idem Cicer. monet in Orat. pro Sextio: *Omnes boni semper nobilitati fauemus, & quia vtile est Reip. nobiles esse homines dignos maioribus suis, & quia valere debet apud nos clarorum hominum bene de Repub. meritorum memoria, etiam mortuorum.* Interim tamen optandũ est cum ista relatione perpetuò coniungi & continuari fundamentum qualitatis, cùm relatio valdè debile Ens sit sine qualitate. Itaque vera & perfecta nobilitas fuerit, quando semina virtutum à parentibus propagantur in natos, & ipsi nati ornant suas familias, & conseruant decus virtutis in sua stirpe, & cogitant se istis insignibus & isto titulo moneri, vt magis ament virtutem, quàm alij homines plebeij, qui talia insignia non habent. Atque adeò ne dent

occasionem

occasionem Poëtis perstringentibus nobilitatem sine virtute, sed sint inter istos paucos de quibus Philosophus loquitur 5. Pol 1. *Nobilitatem*, inquit, *in verbis quidem ferè omnes vsurpant: sed qui reuera nobiles sint, nusquam reperiuntur; diuites autem reperiuntur in multis locis.* Quæ Philosophi sententia cautè vsurpanda fuerit, nec confundendum vnum nobilitatis fundamentum cum altero; aut vtrumque fundamentum tollendum propterea, quia prius desit. Quod cum non satis attendens *N. Frischlinus*, in Germanicam nobilitatem inuectiuam scripsisset, imprudentiam istam politicam grauissimo casu luere est coactus ante annos non ita multos; vt in eius vita apparet. Qui plura volet de Nobilitate, videat integrum de hoc argumento tractatum *Simonis Simonii* & *Picol. Grad. 8. Ph. Mor c. 15. & seq.*

Sic de Fine: *Restat obiectum, circa quod Ethica occupatur.*

Rationem Methodi facile est intelligere ex præceptis Logicis finis, quæ iubent, vt in omni disciplina operatrice duo præcognoscantur; nempe finis quem cupimus operando consequi, & deinde obiectum circa quod operatio versatur, & cui obiecto iste finis acquiritur. Et talem Meth. obseruauit Arist. qui cum cap. 12 lib. 1. Eth. egisset de fine, c. 13 eiusdem lib. agit de obiecto, & diuidit in sua munia virtutem animæ humanæ. Cæterùm quæ tàm de fine, quàm obiecto doctrinæ Eth. in hisce præcognitis docentur, ea ad vniuersam Phil. pract. pertinent, & communia etiam sunt OEcon. & Polit. disciplinæ: idque propterea, quia Ethica partim communis est disciplina Oeconomicæ & Politicæ, partim etiam non communis, sed iis contradistincta. Communis est doctrina Ethica, quatenus Oeconomica & Politica societas ex singulis & priuatis hominibus conflata est: qualis enim quisque est pro se priuatim, talis quoque est in societate hominum. i. si quis pro se & priuatim sit temperans, iustus & fortis; etiam in societate politica est temperans, iustus & fortis. Peculiaris autem hæc doctrina est disciplinæ Ethicæ, si Ethicam consideres, vt talem disciplinam, quæ informat hominem & mores hominis absolutè considerati extra societatem Oeconomicam vel Politicam.

Obiectum

Obiectum Ethicæ est vel primariũ, vel secundariũ.

Obiectum primarium quod informat disciplina Ethica, est hominis voluntas, siue appetitus rationalis animæ, per quem homo bona ab intellectu cognita prosequitur & mala auersatur.

Omnes disciplinæ operatrices mutuantur notitiam obiecti sui ex disciplinis contemplatricibus. Ita nempe Ethica etiam mutuatur à Physica scientia notitiam sui obiecti; sed ita tamen vt doctrina Physica cũ Methodo disciplinæ Ethicæ non confundatur. Nam Physica tractat de voluntate hominis, quatenus est proprium Accidens hominis: Ethica autem de voluntate hominis docet, non quatenus est proprietas hominis, sed quatenus est obiectum informandum præceptis Ethicis.

Axiomata de voluntate per doctrinam Ethicam informanda sunt hæc.

Voluntas pendet ab intellectu, tum quia nihil vult homo, nisi quod intelligit; tũ quia sic vult, vt intelligit.

Dependentia voluntatis ab intellectu breuiter exprimitur hoc Axiomate, ita nempe, vt doceatur primò, notitiam rerum, quæ voluntatem regere debent, necessariò præcedere earundem rerum appetitum; siue notitiam boni præcedere prosecutionem boni, & notitiam mali præcedere fugam mali. 2. talem & tantam esse prosecutionem boni & fugam mali, qualis & quanta est notitia boni ac mali. Itaque huc pertinent istæ Regulæ. 1, *Ignoti nulla cupido.* 2, *Tantum quisque vult, quantum intelligit se velle debere.* 3, *Claritas notitiæ in intellectu parit ardorem in voluntate*: Et contrà, *Obscuritas notitiæ in intellectu parit ignauiam in voluntate* 4, *Tantum diligimus, quantum cognoscimus.* 5, *Error in notitia, parit errorem in voluntate.*

2 *Voluntatis instrumentum est cor & motus cordis: itaque quale est temperamentum hominis & cordis humani, talis etiam erit inclinatio voluntatis.*

Hinc rectè poterit intelligi dictũ illud, *Mores animi sequuntur temperamentum corporis*: quod perinde est ac si diceretur:

Inclinatio

Inclinatio voluntatis talis est, qualis est temperies cordis & spirituum, quibus voluntas hominis concitatur.

3 *Est autem reciprocatio eiusmodi inter Intellectum & voluntatem, vt prima quidem inclinatio voluntatis pendeat ab intellectu, sed posteà etiam volũtas instiget intellectum ad obiectum appetibile accuratiùs meditandum, ac deliberandum, quomodo & quibus medijs obiectum id, quod voluntas appetit, possit acquiri.*

Ad præcidendas multas quæstiones spinosas magis quàm vtiles de reciprocatione inter intellectum & voluntatem, hoc Axioma posuimus, & cum tali distinctione rem expedimus; Nempe, voluntatem pendere ab intellectu quoad primam inclinationem, de qua dicitur: *Ignoti nulla cupido*; sed quod ad inclinationes secundas, quibus nempe voluntas rem aliquam vlteriùs concupiscit, & plenè cupit eâ potiri, hoc, inquam, respectu etiam intellectus pendet à voluntate, tanquam à causa irritattice. Quando enim voluntas appetit rem, sed interim non videt, quibus medijs re illa possit potiri, tunc stimulat intellectum, vt de re ista vberiùs cogitet, & causas atq; media inuestiget, per quæ ad fruitionem istius rei voluntas possit peruenire. Et talis reciprocatio etiam est inter instrumenta intellectus & volũtatis, nempe inter cor & cerebrum; Nam spiritus ex corde in cerebrum deferuntur, & contrà cor iterum à cerebro impellentibus spiritibus concitatur, vt reciprocatione facta, alterum membrum ab altero moueatur, & cor incalescens vehementiori appetitu, cerebro quoque imprimat virtutem plenioris & vberioris notitiæ.

4 *Cæterùm voluntas præcipuè regitur ab intellectu practico.*

Vnus est idemque intellectus in homine, qui tamen pro diuersitate obiectorum distinguitur. Nam quatenus anima humana fertur ad assensum principiorum speculatiuorum, id est, talium, quæ pertinent ad res nulla operatione & industriâ hominis producendas, atque adeò quatenus versatur circa scientias, dicitur *intellectus speculatiuus*; Quatenus verò intellectus idem naturali propensione fertur ad assensum princi-

principiorum practicorum, atque adeò occupatur circa res Ethicas, Oeconomicas, vel Politicas; eatenus appellatur *intellectus practicus*. Quia verò homo eas res non facilè appetit, quas non potest producere, exempli gratiâ, non cupit homo facere cælum, terram, & maria; ideo non tam intellectus speculativus quàm practicus humanam voluntatem præcedit & gubernat. Hinc est quòd Arist. lib. 3. Ethic. c. 4. voluntatem definit *Appetitum boni cum ratione*, nempe cum ratione practica.

5 *Sunt duo distincti actus voluntatis humanæ, nempe approbatio & auersatio.*

Vocabulum *voluntatis* propriè quidem approbationem denotat; sed interim latè plerumque vlurpatur, sic vt quoq; auersationem comprehendat: vnde D. Augustus. voluntatem sic esse considerandam docet, vt noluntatem quoque includamus.

6 *Voluntatis, quatenus sumitur pro actu approbationis; obiectum est vel per se, vel per Accidens.*

7 *Obiectum per se est verum bonum, ad quod voluntas hominis per se, i. suâ essentiâ fertur.*

Loquimur hîc de voluntate in sua definitione & essentia considerata, non de voluntate per peccatum corrupta, & à sua essentia degenerante, qualis (proh dolor) nunc est omnium hominũ; Oportet enim hominis essentiam ab hominis morbo & corruptione discernere. Secundum essentiã ergo suam homo fertur ad verum & ad bonum; ad verum quidem ratione intellectus, ad bonum autem ratione voluntatis. Atque huc pertinet memorabilis disputatio Aristotelis, quæ est 3. Ethicor. cap. 4. vbi primò adducit sententiam Socraticorum, atque adeò etiam Platonis, qui statuebant solum verum bonum esse obiectum voluntatis: & ponebant Thesin, quæ possit videri paradoxa, cuius meminit Aristoteles seq. cap. 5. eiusdem libri; nempe, *neminem sponte esse malum & improbum*. Altera sententia fuit Academicorum, qui statuebant voluntatem humanam solummodò versari circa apparens bonum; quæ perinde est absurda, ac al-

tera eorundem Academicorum sententia, vnde hæc promanauit; nempe, *Intellectum hominis tantùm versari circa apparens bonum.* Aristoteles igitur vt aliàs, ita hîc quoque sapienter distinguit, & docet obiectum voluntatis esse bonum, sed ita, vt verum bonum sit per se obiectum voluntatis; bonum autem apparens, i. tale, quod quidem reuera bonum non est, sed hominibus corruptis bonum esse videtur, sit obiectum per Accidens.

8 *Obiectum voluntatis per accidens, est bonum apparens, id est, malum & inhonestum; quod homini corrupto videtur bonum, propterea, quia vel vtile, vel iucundum apparet.*

Vt cum intemperans appetit cibum & potum sibi noxium, aut appetit plus cibi & potus, quàm per honestatem appetere debeat, propterea, quòd iste cibus & potus sit ei iucundus; item cum auarus appetit pecuniam sine modo, præponens vtilitatem honestati: item cum fur appetit rem alienam, quæ videtur ei bona non propter honestatem, sed propter vtilitatem; perinde vt febricitans appetit vinum propterea, quòd videatur ei iucundum & suaue.

9 *Obiectum auersationis est malum, idque etiam vel per se, quod verè malum siue inhonestum est; vel apparens, quod quidem suà naturâ honestum est, sed homini corrupto videtur malum propterea, quia vel inutile, vel iniucundum est.*

Vt cum auarus voluntate sua auersatur contributionem beneficiorum; quia etsi hoc sit honestum, tamen auaro videtur malum, propterea, quia iudicat esse inutile. Item, cum intemperans auersatur cibos naturæ suæ salubres, propterea, quia ei cibi illi non prosunt.

10 *Porrò voluntas seu volitio vel immediata & determinata est; vel mediata & suspensa.*

11 *Immediata & determinata volitio est, cum obiectum vel appetimus, vel auersamur sine vl-*

la

la deliberatione : qualis voluntas est summi boni & mediorum ad summum bonum liquidissimorum : hæc enim summo impetu & immediatè sine vlla deliberatione voluntas appetit, sicut contrà summum malum sine vlla deliberatione auersatur.

12 *Mediata autem & suspensa volitio est, quâ volumus aut nolumus cum deliberatione : qualis voluntas seu volitio est mediorum non omni modo liquidorum ad summum bonum.*

13 *In hac voluntate considerandum est 1, antecedens : pòst diuersæ eius partes, siue actus.*

14 *Antecedens est consultatio seu deliberatio, quæ est actio rationis, quâ media tum inter sese, tum respectu finis conferuntur, & considerantur, vtrum ad finem magis conducat.*

Præclarissimum est caput Aristot. 3. lib 3. Ethic de consultatione, quæ dicitur Græcis βουλευσις; & definitur ibid. à Philosopho dicente; ἡ βούλευσις ἐστι τῆς ψυχῆς λογισμὸς περὶ τὰ πρακτὰ; *est ratiocinatio animæ de ijs, quæ sub actionem cadunt.* Cæterùm hoc loco sufficiat consultationem in genere cognouisse; nam in specie de consultatione, eiusque obiecto & propriis requisitis, infrà tractabitur in doctrina de causa virtutis.

15 *Actus, seu partes huius voluntatis sunt duæ : nempe Proæresis, siue Electio : & Executio electorum.*

16 *Electio est, cum inter duo vel plura bona consultatione expensa, id voluntas nostra appetit, quod maximè facit ad finem : aut inter duo mala (non culpæ sed pœnæ) id maximè auersatur, quod est maius malum.*

Περὶ προαιρέσεως, de Electione siue decreto & delectu voluntatis sequente consultationem, tractat Arist. libr. 3. Eth. c. 2: vbi primò notanda est ambiguitas vocabuli, vtpote quod interdum sumitur pro consultatione ipsa, aut saltè pro conclusione ratiocinationis istius, quæ dicitur *consultatio*: Interdum verò sumitur pro firmo animi proposito sequente claram notitiam rei; vt apud Cic. ἐκ προαιρέσεως πράττειν, est consultò & cogitatò, atque adeò de industria & data opera aliquid facere. A quâ posteriori significatione si non multùm, saltè aliquo modo differt significatio προαιρέσεως, prout hoc loco capitur. Proprie ergo acceptâ Proæresin ita definit Arist. 3. Eth. c. 3. προαίρεσις ἐστιν ὄρεξις βουλευτικὴ τῶν ἐφ' ἡμῖν. Id est, *Electio est immediata appetitio eorum, quæ in nostra sunt potestate*; siue eorum quæ per nos fieri possunt. Et l. 6. c. 2. dicit, quòd προαίρεσις sit ὄρεξις διανοητικὴ, i. *appetitus præsupponens actionem*. Itaque proprijssimè Proæresis hîc sumitur pro tali actu voluntatis, quo ex plurimis ad deliberandum propositis, vnum aliquid eligitur, quod ad virtutem pertineat, aut quod alioquin vtile vel iucundum esse possit. Quod verò idem Philosophus 3. Ethic. cap. 2. discernit inter voluntatem & Proæresin: i quòd voluntas etiam sit impossibilium, vt illud Euandri votum apud Virgil. 10. Æneid. *O mihi præteritos referat si Iupiter annos*. Proæresis autem possibilium solummodò, siquidem de talibus est deliberatio. Alterum discrimen est, quòd voluntas se quoque extendat ad aliena, vt quando amicus vult suo amico esse benè: Præceptor vult discipulum suum fieri doctum; Proæresis autem tantùm est eorum, quæ ad nos pertinent. Denique 3. voluntas principaliter respicit finem: Electio autem principaliter respicit media, per quæ putamus nos finem acquisituros.

17 *Executio est motus voluntatis ad possidendum id, quod Proæresis elegerat.*

Exempli causa, quando non tantùm decernit voluntas esse eijciendas merces, vt redimatur vita, sed etiam actu id exequitur, & impellit manum vt merces eijciat.

18 *Proprietates voluntatis sunt tres.* 1, *rectitudo.* 2, *libertas.* 3, *potestas.*

19 *Rectitudo voluntatis est, cum ad bonum rectè cognitum*

cognitum rectè etiam & legitimè fertur; & malum rectè cognitum, legitimè auersatur; quæ rectitudo etsi potentiâ adsit homini post lapsum, tamen actu ipso sæpè hominem destituit.

20 *Libertas voluntatis, est vis seu virtus, per quam voluntas se ipsam mouet interno suo principio ad amplectendum bonum & auersandum malum.*

Principio distinguendum nobis est inter *libertatem voluntatis*, & inter *liberum arbitrium*; idque propter Theologos inprimis, qui vocabulum *liberi arbitrii* latiùs vsurpant, ita vt complectatur quoque sub se rectitudinem voluntatis, & potestatem exequendi in voluntate. Nam quando disputant de libero arbitrio, satis apparet eos sub libero arbitrio complecti illam rectitudinem, quâ voluntas legitimè inclinatur ad bonum, & tota abhorret à malo; & huic rectitudini adiunctam facultatem, potentiam & vires, bonum præ malo eligendi, idemque opere ipso exequendi. Nos autem, vt ex contextu Axiomatum apparet, inter libertatem voluntatis & inter liberum arbitrium distinguimus, tanquàm inter partem & totum.

21 *Libertas ergo voluntatis in his consistit*; 1, *quòd voluntas habet insitam essentialem virtutem, vt se possit per seipsam, siue suo interno principio mouere ad appetitum boni & auersationem mali; atque adeò quòd propositum malum possit tam non velle, quàm velle; imò magis non velle, quàm velle.* 2 *quòd possit bonũ præ bono eligere, et ex duobus malis id magis, quod minus est.* 3, *quòd possit sic velle, siue diuerso modo & gradibus velle*; *denique* 4, *quòd possit suspendere actionem.*

Quidam in eo constituerunt libertatem voluntatis, quòd homo ante lapsum æquè ad bonum ac ad malum fuerit procliuis. At verò hæc non tam libertas est voluntatis, quàm quædam flexibilitas opposita non coactioni, sed constantiæ. Et habet Deus optimus maximus perfectissimam libertatem

tem voluntatis; habent etiam ſuam libertatem S. Angeli: cum tamen Dei voluntas & voluntas Angelorum tantùm ſit determinata ad bonum, non verò flexibilis ad malum. Quocirca non poſuerim libertatem voluntatis in flexibilitate & ambiguitate illa, ſed potiùs in determinatione ad ſuum obiectum verum & proprium; determinationem, inquam, principaliter pendentem à principio interno ipſius voluntatis, ſeſe ſponte nullo externo principaliter determinantis, & tanquam principali principio mouentis. Semper autem loquimur de voluntate per ſe in ſua definitione, conſiderata: non verò conſiderata extra ſuam definitionem, quatenus habet morbum ſibi adhærentem. Cæterùm Ariſtot de libertate voluntatis tractat 3. Eth. c. 1. vbi docet de ἑκουσίῳ, de *ſpontaneo*, quod definit, οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδότι τὰ καθ' ἕκαστα, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις. i. *Spontaneum eſſe, cuius principium in ipſo agente eſt, & ſciente ſingulas actionis circumſtantias*, Quâ deſcriptione 1. Concretum ſumitur pro abſtracto, ſpontaneum, pro ſpontaneitate, ſi ita loqui liceret, ſiue liberum, pro libertate. 2, ponuntur duo requiſita libertatis; vnum externum, quod potiùs retulerim ad rectitudinem voluntatis, vt nempe præcedat diſtincta notitia circumſtantiarum in intellectu. Alterum principium internum eſt, nempe motus poſitus & ſitus in ipſa voluntate.

22 *Voluntas, quâ voluntas, nunquam coactè agit, nempe actione internâ, ſiue volitione ſuâ, ita vt rectè dici poſſit*, voluntas non cogitur.

Sicut intellectus cogi non poteſt, vt aliquid intelligat, ita voluntas cogi non poteſt, vt aliquid velit, per ſe nempe, quatenus eſt voluntas; quia nempe fieri nequit, vt internum mouendi principium, à voluntatis eſſentia ſeparetur. Quô alludunt grauiſſima illa Axiomata in negotio Religionis obſeruanda: *Fides ſuaderi poteſt, cogi non poteſt.* Item; *Nullus vnquam fuit tam crudelis Tyrannus qui ſcientias cogere potuerit.* Et Iuriſconſulti dicunt; *Etiam coacta voluntas eſt voluntas.* q. d. voluntatem per ſe & ſua natura cogi non poſſe, ſed cogi poſſe hominem, vt aliter agat, quàm velit.

23 *Nec tamen excludimus gradus voluntatis, ſiue*

siue lubentiam illam adiunctam voluntati, per quam voluntas vel magis lubens aliquid agit, vel minùs lubens, & per quam interdum vult plenâ libertate & lubentiâ, interdum semiplenâ.

Voluntas liberè vult, etiam cum non vult plenâ approbatione & lubentia. e. g. cum est periculum naufragii, liberè vult voluntas eijcere merces, etiamsi non velit id plenâ lubentiâ, sed tamen vt ex duobus malis id eligat, quod est minus. Sic Martyres liberè voluerunt interfici & immolari pro gloria Dei: & tamen Martyribus facta est iniuria, quia cum dicitur, *volenti non fit iniuria*, intelligendum hoc est de plena lubentia voluntatis, vt suo loco audiemus.

24 *Quare sic concludimus, distinguendum esse inter voluntatem siue volitionem: & inter actiones hominis externas ex voluntate prodeuntes: hæ enim cogi possunt, & his competit* τὸ ἀκούσιον. i. inuitum & violentum.

Περὶ τοῦ ἀκουσίου tractat Philosophus eodem c. 1. Eth. 3. quam tractationem, tanquam fundamentalem in disciplina Ethica, aliquot axiomatibus necessarium fuerit & resoluere & explicare,

25 Ἀκούσιον *est vel ex irreflitudine, vel ex coactione.*

26 *Ex irreflitudine est, quando homo agit per ignorantiam.*

Sic enim describit simul & diuidit Aristoteles citato cap° inquiens: *Inuitum dicitur, quod quis vel vi coactus, vel per ignorantiam admittit.*

27 *Ignorantia est vel Iuris vel Facti.*

28 *Iuris est, quando ignoratur an aliquid rectè, siue iustè aut iniustè fiat.*

Ita definit Aristoteles lib. 3. Ethic. cap. 1.

29 *Iuris autem ignorantia, est vel iuris vniuersalis, vel particularis.*

30 *Ignorantia iuris vniuersalis est, quâ ignorantur præcepta communia iusti & iniusti; atque adeò talia, quæ omnes homines scire poterant & debebant, qualis ignorantia non excusat actionem.*

Aristoteles citato loco hanc ignorantiam vocat ἄγνοιαν τῶ καθόλυ, *ignorantiam rei*, seu *præceptorum vniuersalium*. Item, ἄγνοιαν ἁπλῶς, id est, *affectatam, & crassam ignorantiam*. Item, ἄγνοιαν τῦ τέλους, *ignorantiam finis*, cum quis ignorat finem suæ actionis, nempe ipsum honestum, sicut paulo pòst etiam vocat ἄγνοιαν τοῦ καλοῦ, καὶ τοῦ συμφέροντος. Qualem quidem ignorantiam talem esse docet, quę factum non reddat inuitum propriè, & idcirco non mereatur veniam: quia causa peccati ex tali ignorantia commissi, non tam est ipsa ignorantia, quàm voluntatis, vel potiùs volentis peruersitas, qui noluit ea scire quæ scire potuisset & debuisset, antequam actionem susciperet, si saltem mediocriter attendere voluisset. Nam actionem aliquam instituere, & non cogitare de fine, aut de qualitate & modo actionis, sitne ea honesta vel inhonesta, id verò penitus est contra naturam voluntatis & contra vim conscientiæ humanæ.

31 *Ignorantia iuris particularis est, quâ ignoratur speciale aliquod & extraordinarium edictum aut mandatum promulgatum ab illis, qui legis condendæ potestatem habent; & hæc ignorantia excusat ad tempus, non verò semper ac perpetuò.*

Plerique Ethici nimis generaliter de Ignorantia iuris docent, & absolutam hanc sententiam ponunt, quòd ignorantia iuris non excuset: cum tamen necessariò distinguendum sit inter ignorantiam iuris vniuersalis, & iuris particularis, de qua distinctione præclarè monet clarissimus *Petrus Martyr* ad cap. 13. libr. 1. Samuel. vbi disputat; *An Ionathan filius Saulis excusandus fuerit, dum comedit mel eo die, quo Rex pater eius præceperat publico edicto ab omni cibo & potu esse abstinendum*; & concludit, excusandum esse Ionathanem duplici ratione:

ratione: 1, quia valdè fessus & famelicus impellebatur ad capiendum aliquid cibi necessitate naturæ; & deinde, quia ignorantia ista Ionathanis, quâ factum est vt mel gustaret, non fuit ignorantia iuris vniuersalis, sed paticularis: ideo inquit Martyr; *Scribitur in Authenticis, quædam decreta ante certum tempus vim suam non obtinere.* Et addit ibidem; *Ignorantia autem iuris communis etsi non excusat in totum, tamen excusat ex parte.* Ideo Petrus Apstolus in Actis inquit; *Scio fratres vos ista per ignorantiam fecisse.* Et Paulus inquit: *Ignouit mihi Deus, quia ignorans feci.* Quam determinationem doctissimi viri puto sufficere ad soluendas omnes quæstiones, quæ circa hanc materiam moueri solent.

32 *Ignorantia facti est, quando non ignoramus an honestè vel inhonestè aliquid fiat, sed ignoramus facti circumstantias, quæ sunt vel principales, vel minus principales. Principales sunt,* 1. *res ipsa, siue obiectum, circa quod actio versatur: deinde, fines particulares, propter quos actio suscipitur. Minus principales sunt, locus, tempus, instrumenta, antecedentia, connexa, consequentia.*

Aristoteles c. ante dicto, octo enumerat circumstantias, quarum ignorantia factum inuitum reddit, quæ omnes tamen includuntur in iis, quas Axioma recensuit. Addit autem ibidem rationem, quare istæ circumstantiæ reddant factum inuitum; quia, inquit, voluntas agentis per ignorantiam harum circumstantiarum impeditur: aliud enim volebat agere, quàm egit.

33 *Requisita autem pertinentia ad excusationem facti per ignorantiam, sunt ista.* 1, *vt ignorantia circumstantiæ vnius aut plurium careat dolo.* 2, *vt tale factum subsequatur dolor & pœnitentia.* 3, *ne ista ignorantia sit accersita.*

Pulcherrimè de his requisitis disserit Philosophus citato loco, vbi docet Ἄγνοιαν aliam esse ἀλυπον, i. talem, quam sequatur tristitia, & pœnitentia; quæ pœnitentia est testimonium, quòd actio sit edita præter voluntatem agentis, &

hanc

hanc ignorantiam reddere factum inuitum, & mereri excusationem: aliam verò ἄγνοιαν esse ἀλυπον, *expertem pœnitentiæ*, & hanc esse testimonium, quòd voluntas agentis non prorsus à facto abhorruerit; & talem ignorantiam non mereri excusationem. Et paulò post, acutè distinguit inter agere ignoranter, & agere per ignorantiam. *Agere ignoranter* inquit, siue ita agere vt sis ignorans, tum diceris, quando ignoras quidem, quid agis: sed ita tamen vt ipsa ignorantia non sit causa malæ actionis, sed aliud quidpiam, quod istam ignorantiam induxit. Exempli gratiâ, quando ebrius aliquem interficit, & nescit se hoc agere, tum ebrius agit ignorans; sed tamen ignorantia illa non est causa peccati istius, verùm ipsa ebrietas, per quam sibi istam ignorantiam accersiuit. *Agere* autem per *ignorantiam* is dicitur, cui ipsa ignorantia fuit principalis causa malæ actionis, atque adeò qui sibi istam ignorantiam suâ culpâ non accersiuit, quique circumstantias facti scire etiam sobrius non poterat.

34 Ἀκούσιον, *siue inuitum ex coactione est, cum voluntas edit actionem non quidem ex ignorantia, sed externo quodam principio compulsa.*

35 *Et hoc* ἀκούσιον *est, vel purum, vel mixtum.*

36 *Purum* ἀκούσιον *est, quod habet hæc tria requisita: 1, vt principium seu causa mouens planè sit extra volentem seu agentem: 2, vt principium illud satis sit validum ad hanc compulsionem: denique, 3, vt agens vel patiens nihil adiumenti conferat ad talem effectum siue actionem.*

Distinctio ista τῶν ἀκουσίων, quam Axioma dedit, & ista requisita inuiti simplicis, extant disertis verbis apud Aristotelem cap. 13. Ethic. vbi videri potest. Exemplum talis inuiti & violenti (nam βίαιον Aristoteles vocat) est in libris Maccab. vbi Antiochus Tyrannus per lictores suos hædera coronat pios Iudæos, & summâ vi pertrahit ad sacrificia Bacchi.

37 *Inuitum mixtum est, quando vel metu euitandi*

tandi alicuius mali, vel spe consequendi alicuius boni; vel alia aliqua necessitate non simpliciter quidem violenta, sed valdè tamen vrgente, mouemur ad suscipiendum & agendum aliquid: quod nunquam ageremus, nisi necessitas illa adesset.

Aristoteles citato cap. vocat violentum & inuitum secundum quid, siue ex parte, & actiones inde prodeuntes appellat *mixtas ex spontaneo & inuito*, vt quando mercator obortâ graui tempestate, vt suam & aliorum vitam redimat, & naufragium euitet, merces pretiosas eijcit in mare. Aut, quando viator inuasus à latronibus pollicetur magnam pecuniæ summam latronibus pro redimenda vita.

38 *Eiusmodi actiones duobus modis considerantur: nempe vel simpliciter & in se ipsis, atque adeò respectu obiecti; vel respectu causæ finalis, cur fiant, aut temporis, quando fiant. Priori modo consideratæ sunt spontaneæ, posteriori modo sunt inuitæ.*

Hanc etiam considerationem diuersam mixtarum actionum elicimus ex textu Aristotelis antè citato; vbi inquit, eiusmodi actiones ratione finis & temporis spectatas esse eligibiles, & voluntarias magis quàm inuitas: quia is qui, exempli causa, merces eijcit, sponte appetit vitam non coactè: & quia appetit vitam sponte, etiam sponte ea eligit quæ ad vitam hoc tempore redimendam pertineant, nempe eiectionem mercium in mare. Ratione autem modi & obiecti, quo vita redimitur, est inuita actio; mallet enim merces istas pretiosas retinere. Cæterùm Philosophus ibidem paulò post sequentibus verbis, 4. species enumerat eiusmodi mixtarum actionum: quarum duas facit excusabiles, & totidem inexcusabiles, de quibus dicemus in doctrina de causa Efficiente virtutis. Nam ex 3. Eth. ea tantùm hoc loco promimus, quæ pertinent ad subiectum Virtutis clarè & plenè intelligendum, nempe voluntatem & modum agendi in voluntate.

39 *Restat*

39 *Restat potestas voluntatis, nempe vires, per quas voluntas sese potest ad suum obiectum possidendum applicare, vt nempe eo fruatur: aliud enim est propendere ad obiectum, aliud verò est sese applicare ad illud obiectum.*

40 *Vires voluntatis oriuntur* 1. *ex clara ac distincta & plena notitia obiecti:* 2, *ex valido impetu voluntatis semetipsam promouentis ad illud obiectum: denique ex obsequio appetitus & locomotiuæ sese voluntati subijcientium, & imperium eius agnoscentium.*

41 *Illud autem imperium voluntatis in facultates inferiores, est vel* πολιτικὸν, *siue ciuile, vel* δεσποτικὸν *siue herile.*

42 *Imperium, siue gubernationem Politicam vel ciuilem, similem Aristocraticæ, habet voluntas in appetitum.*

43 *Voluntas enim appetitum persuasionibus & blanda regiminis forma gubernat, atque ad obsequium adducit.*

Gubernatio Politica seu ciuilis est ea, quæ Rebuspubl. maximè conuenit, in qua regimen siue forma Aristocratica cum Democratica mixta est. Ita nempe mixtum quoque habet imperium appetitus cum voluntate, & opus est mitiori quadam formâ gubernationis, si appetitus frenum voluntatis excutere non debeat: de qua re etiam in *Syst. Physico* aliquid docuimus.

44 *Imperium autem voluntatis in locomotiuam, siue membra exteriora, est* δεσποτικὸν *siue herile, quale est domini in seruum: durius nempe & grauius, vbi blandis persuasionibus parùm, mandatis plurimum agitur.*

Sicut dominus mandat seruo pro imperio, vt huc vel illuc

luc eat, siue etiam vt domi maneat : ita voluntas membris externis mandat, tanquam Regina, vt vel quiescant, vel se moueãt, prout voluntas obiectum suum vel approbat, vel auersatur : Et hoc est quod dicitur *Regimen locomotiuæ*, e. g. voluntas mandat manibus, ne se moueant ad contrectandam rem alienam, & mandat imperio herili : itaque etiam facilius possumus regere locomotiuam, quâm affectus & cupiditates nostras : quia facilùs regitur seruus quâm ciuis.

45 *Est & gubernatio voluntatis alia liquida, siue elicita, vt vocant, alia verò imperata.*

46 *Liquida, siue, vt appellant, elicita gubernatio est, quando appetitus & locomotiua vltrò sequitur, & voluntati debitam obedientiam præstat; siue, cum voluntas agit absque lucta appetitus & locomotiuæ.*

47 *Imperata verò gubernatio est, quando voluntas habet reluctantem appetitum & locomotiuam, & imperium suum exequitur cum refragatione, & quadam recalcitratione cupiditatis, affectuum, & locomotiuæ.*

Tantum de obiecto Ethicæ primario : secundarium obiectum Ethicæ iterum est vel primum, vel à primo ortum.

Primum obiectum est sensus, Appetitus, & locomotiuæ.

Sensus hîc intelliguntur exteriores quinque, & inter hos inprimis Tactus & Gustus : nam Visu, Auditu, & Olfactu homo rariùs peccat.

Appetitus comprehendit sub se Cupiditatem & Affectum.

Cupiditas est vel nutrimenti, nempe cibi & potus; vel veneris, quæ libido *dicitur.*

Affectus est vel Generalis, vel Specialis.

Generalis

Generalis est, qui homini & bestijs conuenit, etsi peculiari quadam ratione & temperamento corporis ad hominem determinetur.

Et hic iterum vel simplex, vel mixtus.

Simplex est, vel obiecti præsentis, vel futuri.

Affectus simplex obiecti præsentis, est vel boni, vt lætitia: vel mali, vt tristitia.

Obiecti futuri affectus est metus, desiderium.

Affectus mixtus, est amor, ira.

Specialis affectus est, qui homini magis est proprius.

Estque iterum vel bonus vel malus.

Bonus, vt misericordia, spes, pudor, verecundia, zelus in bonum: Malus, vt inuidia, ἐπιχαιρεκακία; item zelus in malum aut pro malo.

Quærit Aristoteles lib. 3. Eth. c. 1. *An ea, quæ ex affectu geruntur, nempe ex ira, vel metu, aut alia aliqua vehementi perturbatione, sint numeranda inter ἀκούσια siue inuita*; sicut quidem Cicero in Topicis & in Partition. scribit ea, quæ metu, cupiditate, & aliis perturbationibus animi fiunt, ad ignorantiam pertinere. Sed Aristoteles sex argumentis sub finem istius cap. grauissimè probat, ea quæ per cupiditates & affectus vtcunque vehementissimos admittuntur, non ad inuita, sed spontanea pertinere: quæ argumenta in textu videri possunt. Mouetur etiam quæstio; *An affectus cadant in virum bonum?* Stoici suo more in verbis subtilitatem quærebant, affectus vocabulum sumebant pro prauo animi impetu, repugnante rationi & voluntati: atque ita dicebant, *Affectum non cadere in virum bonum*, siue *sapientẽ debere esse sine affectibus*. Verùm si de re ipsa iudicium faciendum sit, non de verbis, quia vir bonus necessariò est animal, necessariò quoq; præditus est affectibus: & per consequens, cum naturale sit affectus in se sentire, naturalia verò virtuti per se non repugnent; sequitur virum bonum affectuum expertem esse nec debere

debere, nec posse: quia animam sentientem excutere nec debet, nec potest. Qua de re etiam monebitur *lib. 3. System.* cum tractabitur de virtutibus κατ' ἀναλογίαν dictis, siue de bonis affectibus. Nam affectus hoc loco considerantur vt obiectum; ibi autem considerabuntur vt species analogicæ virtutis. Obiter etiam mouemus Problema: An Plutarchus rectè senserit, *Hominem esse miserrimum animal, siue esse miseriorem cæteris animalibus propterea, quia pluribus affectibus sit obnoxius, quàm bestia?* Quod idem etiam Plato disceptat in Axiocho, siue de contemnenda morte, vbi sic argumentatur: *Quod est omnibus alijs animalibus miserius animal, id libentiùs mori debet. Atqui homo est miserior cæteris animalibus: Ergo,* &c. Minorem probat, quia nullum animal tot animi fluctibus & perturbationibus est obnoxium ac homo. Quæ sententia Plutarchi & Platonis si valere debeat, quorsum laborabimus in summo bono acquirendo per præcepta Ethica? Nam quod animal perpetuò miserrimum futurum est, id summi boni capax esse nequit. Quare respondebis ad istam propositionem: Quod pluribus animi affectibus est obnoxium, id est miserrimum animal: quòd distingui debeat affectus in rectum & prauum, & in eum, qui est per se, simulque eum, qui est per accidens: nam homo per se suâ naturâ pluribus quidē affectibus est præditus, quàm bestiæ; sed affectibus bonis, qui à ratione & voluntate diriguntur ad bonum ac perfectionem hominis, non verò ad hominis destructionem & miseriam; quique adeò sunt virtutum incitamenta; blandimenta, ac comites indiuidui. Per accidens autem fit, quòd isti affectus mali sint, & ad malum ducant. qui tamen per institutionem & præcepta corrigi ac mutari possunt: cum in bestiis nihil sit, quo iræ & aliorum affectuum excessus regi, emendari, ac frenari possit.

Locomotiua est vis, quâ homo promouetur de loco in locum.

Eius duo sunt Axiomata:

1 *Etsi Locomotiuam homo habeat communem cum bestiis, tamen restringitur hæc vis peculiariter in homine*

homine, tum ratione regiminis, quo gubernatur à ratione & voluntate, tum ratione certarum partium, quæ in bestiis non sunt, e.c. manuum.

2 *Locomotiua hoc ordine exeritur, vt* 1. *obiectum proponatur sensibus exterioribus, & ab his deferatur ad sensus interiores, & inprimis ad imaginationem, quæ in genere iudicat, an obiectũ sit vtile vel iucundum, aut contrà: inde ad cor imago obiecti transplantatur, vt in corde fiat motus ex iudicio vtilis, vel inutilis, iucundi, vel iniucundi. A corde iterum reciprocatione facta remittitur obiecti imago ad intellectum, qui iudicat non tantùm an vtile vel iucundum, & contrà: sed etiam an honestum vel inhonestum sit. Denique iterum fit regressus ad cor, in quo tanquam sede voluntatis nouus motus oritur, propellens membra exteriora, instrumento spirituum vt vel appropinquent obiecto, vel ab eo fugiant.*

Locomotiua est vel totalis, vel partialis.

Totalis est, quâ totum corpus hominis de loco in locum simul cum omnibus partibus mouetur.

Vt cum fortis Heros in bello, impetu honesti stimulatus, accurrit ad hostem patriæ trucidandum.

Locomotiua partialis est, cum vna aut altera pars corporis tantùm mouetur, reliquis partibus quiescentibus.

Vt cum homo liberalis moueat manum, & dat egenti eleemosynam. Aut, cum iustus iudex pro tribunali sedens mouet linguam & pronuntitiat iustam sententiam.

Tantum etiam de obiecto secundario primo: Restat obiectum secundarium à primo ortum, nempe Voluptas & Dolor.

Per Voluptatem, *hoc loco intelligimus passionem natu-*

naturæ amicam, & per se congruam: per Accidens tamen dissonantem, quæ sequitur sensum & appetitum.

De voluptate suprà egimus tanquam de Affectu consequente virtutis actionem siue summum bonum, atque adeò tanquam de summi boni indiuisibili effectu, quæ quidem voluptas vocatur *voluptas mentis*. Hoc loco autem longè aliter de voluptate tractatur, nempe non tanquam de Effectu summi boni, neq; de lætitia quadã mentis ab exercitio virtutis promanãte: sed agitur hîc de voluptate, quæ est passio orta ex congrua cõstitutione sensus & appetitus; quãdo nẽpe sensus & appetitus cõmodè se habet, ita vt ex isto sensu & appetitu homo iucunditatẽ sentiat. Quo quidẽ modo considerata voluptas, est obiectum, circa quod versantur præcepta & virtutes Ethicæ: sicut Plato & Aristoteles dixerunt, *virtutem esse compositionẽ rectam voluptatis & doloris*. Quæ cum rectè considerabuntur, non vsque adeò videbitur difficilis materia de dolore, sicuti quidem præstantissimis Philosophis visa est, & inter hos inprimis *Francisc. Picolom.* Grad. 1. Philosophiæ Moral. cap. 16. vbi inquit: *Mirum profectò est, quòd nos, qui per naturam voluptatem sequimur, erga eam tamen adeò simus cæci, vt ne quidẽ eius genus cognoscere possimus*. Quasi diceret, mirum esse quòd disputatio de iucunditate ipsa tam sit iniucunda & difficilis. Difficultatem autem istam peperit ignoratio veri generis, quod postquàm dedimus, omnis de voluptate disputatio maiorem voluptatem habitura est. Cæterùm Aristoteles de voluptate hoc modo spectata, quatenus videlicet est obiectum doctrinæ Ethicæ, tractat c. 11. libr. 7. vsque ad finem libri Et inprimis memorabilis eius locus est qui extat 2. Eth. cap. 3. & 5. vbi inquit: *Perturbationem sequitur voluptas & dolor*; ita vt vix admitti possit, quod Picolom. statuit citato iam cap. *voluptatem & præcedere & comitari perturbationes siue affectus mentis*. Qui autem plura volet legere de genere voluptatis, legat eundem *Picolom. Grad. 9. cap. 12.*

Axiomata de voluptate sic considerata, sunt hæc.

1 *Voluptas etiam ea, quæ ex sensu & appetitu oritur, suâ naturâ bona est; per Accidens autem siue propter accedentem morbum, redditur mala.*

Vide Picol. acutè de eo differentem *Grad. 9. Philos. Moral. cap. 15.* sub cuius cap. finem tamen, voluptatem ait esse triplicem, nempe bonam, malam, & neutram, vt ibi latius videri potest.

2 *Voluptas est vehementissima passio, cui difficillimè resisti potest, nisi accedat informatio virtutis.*

Rectè dixerunt, qui dixerunt, *voluptatem esse effrenem bestiam:* Item, *voluptatem esse malum consiliarium ad virtutem.* Id quod de voluptate praua intelligendum est, sicut ea de re disputat præclarè idem *Picol. c. 34. Grad. 1.* vbi inter alia dicit, *voluptatem esse vehementissimam passionem*, ita vt præ nimia voluptate homo nonnunquam statim moriatur, cum tamen præ nimijs alijs affectibus, e. c. præ nimia ira non ita facilè & subitò homo extinguatur.

Voluptas ergo alia est ex sensu, alia ex appetitu.

Voluptas ex sensu est passio, quam percipimus ex sensus actione expeditâ, & congruè se habente.

Et percipitur quidem ex omnibus sensibus voluptas; sed Ethica inprimis versatur circa voluptatem eam, quæ oritur ex tactu & gustu.

Voluptas ex appetitu iterum est vel ex cupiditate tum nutrimenti, tum veneris, vel ex affectibus.

Voluptas cum appetitu vsque adeò coniuncta est, vt multi Philosophi voluptatem faciant commune genus, quod sub se appetitum comprehendit: Alij autem voluptatem & dolorem numerent inter species appetitus, contra quos Picolom. prolixe disputat; Nam voluptas nec est genus appetitus, nec species, sed est eius effectus, & passio ex sensu & appetitu orta.

Tantum de voluptate; Dolor est passio orta ex actione sensuum & appetitus impedita, atque adeo naturæ nec congrua, nec expedita.

Qui

Qui intelligit doctrinam de voluptate, nempe quot modis voluptas accipiatur, & quod sit eius legitimum genus, idem facili negotio intelligit doctrinam de dolore; cum contrariorum mutua sit lux, & vnum ex altero declaretur. Itaque possumus esse breues.

Dolor est vel ex sensu, vel ex appetitu.

Dolor ex sensu est passio, quam patimur ex aduersa actione sensuum; nempe Tactu, Gustu, Olfactu.

Dolor ex appetitu, iterum est vel ex defectu nutrimenti, nempe cibi & potus; vel ex nutrimento malo, vel denique ex nutrimento minus copiosè assumpto: Et sic etiam dolor ex venere eodem modo oritur.

Dolor ex affectu, est passio orta ex aduersis motibus siue affectibus cordis.

Porrò quia cor est instrumentũ voluptatis & appetitus, ideò aliquo modo etiam cor hominis potest dici obiectum Philosophiæ practicæ & inprimis doctrinæ Ethicæ, quæ cor humanum rectè componit ad rectos motus & ad virtutem.

Hactenus absoluimus fundamentum & valdè necessariam præparationem totius Philosophiæ practicæ; atque adeò his præcognitis nostris complexi sumus quicquid habet Aristoteles in toto 1. Ethic. & in non exigua parte 3. Ethic. item in vltimis cap. 7. Ethic. Nunc postquàm hæc fundamenta iacta sunt, expeditiori cursu, Deo benedicente, decurrere poterimus per reliquum stadium Philosophiæ practicæ.

SYSTEMATIS ETHICI

Liber Primus.

De virtute Morali in genere; & in ſpecie de Virtute dirigente.

CAPVT. I.

In quo definitio virtutis Moralis & eiuſdem cauſæ.

HActenus ſecundum præſcripta Methodi Analyticæ præcognouimus tum finem Ethicæ, nempe bonum Ciuile: tum obiectum, in quod finis iſte introducendus eſt: Iam porrò de mediis ad finem hunc ducentibns, nobis agendum eſt.

Ex Logicis conſtat, eſſe duo præcipua membra Methodi Analyticæ, nempe finem & media. Sicut enim ſcientiæ progrediuntur à materia & forma, ad materiatum & formatũ: Ita diſciplinæ Practicæ, id eſt, ars & prudentia progrediuntur à fine ad finitum. Et hoc eſt quod Ariſtoteles ſapienter docuit 1. ad Eud. c. 2. vbi dicit: *vitam propoſito fine carentem ſtultam eſſe, ſiue ſtultitiæ magnæ ſignum:* Τόγε μὴ συντετάχθαι τὸν βίον πρός τι τέλος, ἀφροσύνης σημεῖον ἐστὶ. *Non ordinare vitam ad aliquem finem, eſt magnum ſtultitiæ argumentum.* Et 7. Polit. c. 13. *Duo*, inquit, *ſunt, in quibus boni ratio conſtituta eſt: quorum prius eſt ſcopum ponere ſuarum actionum, & finem certum; Alterum eſt inuenire media ad hunc finem ducentia.* Δυό ἐστὶν ἐν οἷς γίγνεται τὸ εὖ πᾶσι, ἓν μὲν ἐν τῷ σκοπὸν κεῖσθαι καὶ τέλος τῶν πράξεων ὀρθῶς, ἓν δὲ τὰς πρὸς τὸ τέλος φερούσας πράξεις εὑρίσκειν.

Canon de mediis ad bonum ciuile ducentibus, generalis hic eſt,

Media

Media ex fine suo naturam & mensuram accipiunt; cum ergo finis Ethicæ sit bonum: ideò media ad hunc finem ducentia, mala esse nec debent, nec possunt: præsertim cum media suo fini subordinentur, malum autem bono suo non subordinetur, sed repugnet.

Ponimus hunc canonem propter eos qui existimant, quandoque etiam per mala media ad bonum finem perueniri posse, & idcircò interdum facienda esse mala, vt eueniant bona; quemadmodum Scholiastes Græcus Anonymus super Ethicam Aristotelis statuit committi posse adulterium, & consuescere aliquem honestè posse cum vxore tyranni eo fine, vt Tyrannum è medio tollat, siue vt illa consuetudo cum vxore Tyranni præbeat ei viam & aditum ad tyrannum occidendum.

Media autem ad istum finem, nempe ad bonum & felicitatem ciuilem ducentia, sunt duo: nempe 1. *Virtus moralis.* 2. *Conspiratio & vnio in virtute, quæ* Amicitia *dicitur.*

Tota ergò doctrina Ethica, quæ nobis restat tractanda, his duobus membris continetur, nempe explicatione virtutis, & explicatione amicitiæ.

Virtus vel simpliciter spectatur, vel cum gradu sublimitatis.

Alii Ethici dicunt, virtutem esse vel *communem* vel *Heroicam.*

Simpliciter spectata virtus est vel propriè & principaliter sic dicta, vel minùs principaliter, & tantùm per analogiam.

Hac distinctione nobis necessariò vtendum, ne cum plerisque Ethicis effectus laudabiles & à natura potiùs, & temperamento ortos, confundamus cum virtute propriè dicta; de qua re vberiùs suo loco.

Propriè dicta virtus est habitus actiuus ex perpetuatis actionibus honestis, voluptatem & appetitum

hominis ad mediocritatem aptè temperans ac componens pro bono ciuili consequendo.

Virtus Græcis dicitur, vel ἀπὸ τοῦ Ἄρεως, à Marte, quòd in bello præcipuè virtutis vis conspiciatur; vel ἀπὸ τῆς αἱρέσεως, id est, eligendo; tum quia maximè eligenda & appetenda est virtus; tum quia nulla est virtus, nisi ex certo animi iudicio & proæresi. Dicitur etiam Græcis ἀρετὴ, q. d. animi singulare exercitium & industria; Latinis *virtus* dicitur à *vir*; quia antiquitus nomen hoc fuit proprium, quasi solius fortitudinis: sed postea cum experientia docuisset, non tantum homini cum homine esse luctandum, sed etiam cum diuitijs, cum delitijs & honoribus, quorum victoria & difficilis est & vtilis; à virtute quoque cognominati sunt illi, qui talia vincere & obtinere potuerunt. Atque hoc est, quod Cic. in Offic. scribit, virtutem olim idem fuisse ac fortitudinem, sed postea illam appellationem factam esse latiorem: *Nomen virtutis*, inquit; *antiquitus fuit solius fortitudinis.* Alij virtutem deriuant à *vi*, quia vis sit virtus quædam animi in arduorum aggressione & aduersorum perpessione, ac denique placitorum abstinentia. Nonnulli Ethici allusione quadam festiuâ virtutem dictam aiunt, quasi *viri statum*, vel etiam quòd virtus sit quasi *viri artus*. Germanis Tugend à Tiegen. i. à *valere*: quia virtus est facultas, vis & valor animi. Cæterùm vocabulum Virtutis, cum ambiguum admodum sit, accuratè distinguendum est. Significat ergo virtus quandoque omnem in genere potentiam & facultatem, siue omnem perfectionem rei, tam supernaturalem, quàm naturalem, tam innatam, quàm accessoriam; quo sensu virtutes Dei, virtutes Angelorum, virtutes animæ rationalis, virtutes Cœli, Elementorum, Metallorum, Gemmarum, Plantarum, Animalium, &c. dicere solemus. Quandoque verò solis quidem habitibus bonis introductis tribuitur hæc vox; sed habitibus promiscuè omnibus, tam infusis, quam acquisitis: quomodo Theologicæ etiam virtutes in virtutum chorum veniunt, quarum tamen tractatio ad Ethicam non pertinet, quæ discernere nouit inter suas, de quibus agit, virtutes, siue inter honestos mores, & inter virtutes cultus diuini, siue pietatem & fidem iustificantem, quæ altius quid & sublimius efficiunt

in appetitu, voluntate & intellectu hominis: vtpote quem totum dirigunt ad Deum non tantùm vt Creatorem, sed etiam vt Redemptorem ac Sanctificatorem, ac dirigunt cum intentione & proposito simpliciter summi boni, siue vitæ ac beatitudinis æternæ: id quod Ethicæ virtutes non faciunt quæ eo vsque non ascendunt, sed bonum morale tantum spectant per se & suâ naturâ, vt ex Præcognitis patuit. Est & alia vocabuli virtutis significatio apud Aristotelem 6. Ethicorum, cap. vltimo, vbi Philosophus inquit: *Nos per naturam possidere virtutem, ac à natura esse temperantes, ac fortes.* Ibi enim virtus sumitur pro dispositione naturali, quæ est causa virtutis propriè dictæ. Propriissimè autem accipitur virtus, pro habitu mentis frequēti vsu & exercitatione comparato: Et sic virtus est vel Intellectualis vel Moralis. *Intellectualis* virtus est, quæ perficit intellectum hominis, & est vel Intelligentia, vel Sapientia, vel Scientia, vel Prudentia, vel denique ars. *Moralis* autem virtus est, quæ perficit hominis voluntatem & appetitum: & de hac sola in Ethicis propriè tractatur. De intellectualibus autem virtutibus non est tractandum in Ethicis, tum quia finem habent diuersum ab Ethica doctrina: tum etiam quia circa aliud obiectum occupantur, tum denique, quia præcepta virtutum intellectualium magnâ ex parte pertinent ad Philosophiam Theoreticam, quę non est necessarium medium felicitatis, seu boni ciuilis. Si quis autem dicat, Aristotelem in 6. Ethicorum, de virtutibus intellectualibus tractare, idcirco doctrinam hanc Ethicam esse; ei respondendum, Aristotelem in Ethicis sic tractare de virtutibus intellectualibus, sicut tractauit de felicitate contemplatiua, nempe non per essentialem Methodum, sed per vtilem commentarium, vt nempe per istam comparationem virtutū intellectualium cum moralibus, doctrina moralium virtutum magis illucesceret. Sumimus igitur hîc virtutem pro habitu regente voluntatem & appetitum hominis, atque adeò conformante ac componente mores pro iuuanda & ornanda humana societate: Quæ virtus Græcis etiam καλοκἀγαθία dicitur, Latinis *honestas*, ab honore, quòd hominibus virtute præditis honor exhibendus sit: item dicitur integritas, quia virtus moralis

demum faciat integrum & perfectum hominem, integrum & perfectum animal sociabile.

Partes definitionis à nobis datæ sunt 1. Genus, nempe quòd *Virtus sit habitus actiuus.* 2. Causa efficiens, quòd *oriatur ex perpetuatis honestis actionibus.* 3. Obiectum quòd *versetur circa voluntatem, appetitum, & locomotiuam hominis:* & denique finis, qui est bonum ciuile. Causæ efficientes manifestiùs posthac intelligentur: obiectum & finis in Præcognitis satis explicata fuerunt.

Aristoteles 2. Ethicorum, capite septimo, virtutem definit, quòd sit ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς ὡρισμένῃ λόγῳ, καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε. *Virtus est habitus cum electione siue electiuus, positus in mediocritate tali, quæ nos attingit, & ad circumstantias loci, temporis & personarum sic accommodatus, prout vir excellenter prudens accommodat.*

Quæ definitio quoque extat libro sexto Ethicorum, capite secundo, & capite decimotertio: Item, Libro primo magnorum moralium, capite quarto. Nec discrepat à definitione nostra quoad rem ipsam, licet verba sint diuersa.

In virtute duo spectanda veniunt. 1. *Eius causæ.* 2. *Accidentia eius propria.*

Causæ efficientes virtutis sunt, vel principales, vel minùs principales.

Principalis est tum natura, tum cura.

Natura efficiens virtutem partim ex solo animo pendet, partim etiam ex temperamento corporis.

Ex solo animo pendens causa virtutis est intellectus practicus, ac voluntatis libertas & potestas.

Intellectus practicus nihil aliud est, quàm vis animæ rationalis, quâ homo pollet statim à prima natiuitate ad intelligendum discrimen honestorum & turpium, qui intellectus etiam recta ratio dicitur: itemq; συντήρησις, q.d. conseruatio regularum de honesto & turpi, per naturam hominibus innata.

Intellectus

Intellectus practicus etiam in Physicis fuit à nobis explicatus: hîc tantùm breuiter indicandum est, quomodo hic intellectus virtutem efficiat, atque adeò quod sit discrimen inter intellectum hunc Practicum, & rectam rationem, itemque dictamen rectæ rationis, & denique celebratam illam Scholasticis συντήρησιν. Ac 1. quidem sicut bonum aliud est vniuersale, aliud particulare; ita quoque intellectus Practicus versatur circa bonum in genere, siue honestum communissimè acceptum; vel versatur circa bonum vel honestum particulare, quod est in tali vel tali virtute. Quatenus ergo versatur circa bonum in communi, eatenus dicitur recta ratio & synteresis. Est ergo synteresis idem, ac si dicas fidelis conseruatio vniuersalium principiorum ac regularum de discrimine honestorum & turpium, quæ conseruatio facit, vt ratio siue intellectus hominis attendat ad honestas actiones, easque dirigat ad certas regulas & normas, quas natura ipsa post lapsum reliqua, in agendo præscribit.

Principia practica nihil sunt aliud, quàm propositiones generales de honesto & turpi, quibus intellectus & ratio humana sine vlla probatione assentitur.

Vocantur aliàs *dictamina rectæ rationis*, qualia sunt partim generalia: vt, *Omne honestum est fugiendum*: partim verò particularia; vt, *Parentes sunt honorandi*, *Suum cuique est tribuendum*, *Nemo est lædendus*. Vocatur etiam tam à Philosophis quàm Theologis *Lex naturæ*; quasi dicas, talia præcepta, quibus homo assentitur per naturam suam, id est, per proprietatem suæ formæ, nempe animæ rationalis.

Altera causa princeps virtutis est voluntatis libertas & potestas, per quam nimirum appetitus hominis ratione & intellectu practico gubernatus inclinatur ad honestum, & auersatur turpe; nec tantùm inclinatur ad honestum, sed etiam sese excitat ad honesti istius persecutionem & turpis auersationem, ita vt appetitum & locomotiuam suo dominio regat & frenet, si opus sit.

De

De libertate & potestate mentis superius docuimus: hîc tantum consideranda est voluntas, quatenus habet vim efficiendę causę virtutis moralis, quę quidem vis pendet principaliter à Deo, tanquam primo volente. Sed quia natura atque adeò voluntas hominis Dei opus & donum est, ideo huic quoque sua vis & virtus relinquenda est, etiam post lapsum, post quem natura corrupta quidem est, sed tamen natura esse non desijt. Et sicut in intellectu post lapsum etiam remanserunt naturales notitiæ, siue virtus illa, quâ potest discerni honestum à turpi; ita quoque post lapsum, in voluntate hominis remansit libertas & potestas aliqua, per quam potest honesta amplecti & turpia fugere. Si enim in voluntate tale aliquid non remansisset, frustra omnino tales notitiæ naturales rationi & intellectui relictæ fuissent. Sed ista cautio diligenter obseruanda est, ne confundamus bonum morale, siue ciuile cum bono gratię, siue spirituali; de quo discrimine etiam suo loco monuimus. Cæterũ id breuiter addo ex doctrina Platonica, quod istæ duæ causæ virtutis, nempe recta ratio & voluntas rectæ rationi obtemperans, eleganti termino dicitur ἡγεμονικόν, quasi dicas, mentem siue intellectum, siue rectam rationem talem, quæ gubernet voluntatem, appetitum & locomotiuam.

Ratione corporis, efficiens causa virtutis est εὐφυία, *siue bona temperatura præcipuorum membrorum & humorum corporis, ex qua temperie oriuntur impetus, inclinationes, & dispositiones ad virtutem moralem vel omnem vel certam.*

Hanc bonam constitutionem corporis Aristoteles 10. Eth. c. 9. vocat εὐφυίαν, quasi dicas, *generositatem natiuitatis*, ex qua promanant impetus ad virtutem; & addit ibidem, animum eius, qui ad bonos mores instituendus est, similem fieri oportere terræ, quam subigi priùs & arari oportet, antequam illi semina & fructus mandari possint. Et 7. Polit. cap. 13. dicit tria esse, quæ virtutẽ efficiant, φύσιν, ἔθος καὶ λόγον, Naturã siue bonum temperamentum, assuefactionem & præcepta.

Quia

Quia verò non est in nostra potestate, quales nascamur, item quomodo & quo tempore nos parentes gignant, nec nobis ipsis temperamentum formare possumus: & quia etiam morbus quidam seu peccatum originis nobiscum nascitur, & denique quia Dæmones mali intellectui, voluntati & appetitui nostro ingentia impedimenta obijciunt: ideo ad virtutes efficiendas in nobis, necessariò oportet concurrere primam causam Deum, qui oportunitatem bene nascendi suppeditet, & intellectum, appetitum & voluntatem nostram regat, & contra malos Dæmones defendat.

Ex hoc Canone patet, quatenus in voluntate hominis sit virtutes producere, & quatenus non sit: Nam quia virtutes à naturali dispositione magnopere dependent, naturalem autem dispositionem nemo sibi tribuere potest; ideo hoc respectu à voluntate hominis non sunt virtutes. 2. quia nemo hoc sibi præstare potest, vt sine peccato originis nascatur, quod est maximum virtutis impedimentum: & denique quia nemo vel præuidere potest, nedum auertere occultas mali Dæmonis siue Genij insidias, quibus rationem & appetitum nostrum deprauat, vt ne bonum quidem morale agnoscere & amplecti possit: ideo hoc etiam respectu virtutes morales non sunt in nostra potestate, & de bono non tantum spirituali, sed etiam morali intelligi potest illud Apostoli 1. Cor. 4. *Quis te ab aliis discreuit? quid est quod non accepisti? Quod si autem accepisti; quid gloriaris quasi non accepisses?* Et 2. Cor. 3. *Non sumus idonei ex nobis ad cogitandum quicquam.* Philosophi quidem Ethnici docent, hominem nasci ἀδιάφορον. i. neutro modo se habentem, i. nec bonum, nec malum. Et trahunt eo nonnulli illud Aristotelis simile, quo animum hominis comparat nudæ & puræ tabulæ, cui nihil sit inscriptum. Quin & Aristoteles 2. Ethic. 1. vbi disputat virtutes non esse nobis naturaliter insitas, concludit vitia quoque non esse. Sed explicat se ipse Aristoteles, quòd loquatur de vitiis

Si quæratur, An honestas ciuilis sit in hominis potestate, respondetur esse sed conditionaliter, si nempe adsint ista tria, nempe bona temperies corporis. 2, vitii originalis repressio. 3 amolitio insidiarum, quas mali Dæmones honestati struunt.

tijs habitualibus: nam alibi fatetur esse in homine multas prauas inclinationes, quæ cum ipso nascantur, sicut expresse dicit 1. Metaphys. 1. & Polit. cap. 2. *quosdam homines naturâ seruos esse.* Pro conclusione notetur sententia Biantis Philosophi, quæ pietatem Christianã sapit: *Cum boni quid feceris, non tibi, sed Deo id ascribe,* nempe propter causas iã numeratas

Sic de natura. Cura est vel externa, vel interna & nostra.

Cura externa & aliena est bona Educatio, & Institutio parentum, & formatorum.

Hæc vno nomine *disciplina* vocatur, quæ nihil est aliud quàm rectio facultatis rectè volendi, appetendi, & bene agendi: rectio, inquam, voluntatis, ab aliis in nos. Qua quidem rectione maximè opus est, quia vt Plato & Aristoteles passim agnoscuut, homo sine disciplina quauis bestia est intractabilior. Platon. sententia est memorabilis: *πάντων ἀηρίων δυσμεταχειριστότατον παῖς. Puer est quauis bestia intractabilior.* Item: *πηγὴ καὶ ῥίζα καλοκἀγαθίας ἐστὶ τὸ νομίμως τυχεῖν παιδείας. Fons & radix omnis honestatis est, si quis sortiatur bonam educationem.*

Cura nostra seu propria est, vel præceptorum, vel exercitatio.

Præcepta virtutis moralis illa ipsa sunt, quæ nunc tradimus.

Exercitatio moralis, est actio secundum virtutes morales instituta.

De actionibus virtutem procreantibus, notentur hi Canones.

1 *Actio moralis est proxima & potissima causa virtutis.*

Triplex est genus eruditarum actionum, siue earum, quæ ex præceptis liberalium disciplinarum geruntur & suscipiuntur. Primum genus vocatur θεωρία, quando aliquis agit solâ mente secundum præcepta Physica, Mathematica aut Metaphysica. Alterum genus dicitur πρᾶξις, quæ vox Latinè non potest exprimi vno vocabulo, sed gemina

voce

voce appellatur *actio moralis*, quando quis agit secundum præcepta bonorum morum. e. g. quando quis temperantiam aut liberalitatem exercet. Tertium genus eruditę operationis dicitur ποίησις, quasi dicas *factio*, quando quis aliquod opus producit secundum præcepta artis propriè dictæ; vt cum quis orationem secundum præcepta Rhetoricæ scribit aut habet; aut quando Medicus secundum præcepta Medicinæ curat ægrum. Hæc tria genera operationum seu actionum humanarũ ex liberalibus disciplinis proficiscentium faciunt quoque discrimen inter ipsas liberales disciplinas; Et alterum quidem genus, quod *Praxis* proprie dicitur, hoc in loco nobis considerandum venit, quia ex praxi crebrò repetita tanquam ex causa proxima oritur habitus virtutis moralis, qua de re iuuat pulcherrimos discursus Aristotelis breuiter hîc resoluere. Ac primò quidem, huius exercitationis generalis idoneum subiectum Philosophus inuestigat 1. Eth. c. 3. & 4. & eius subiecti aliquot requisita recenset. 1. requisitum est idonea ætas, qua qui destituitur, non potest esse auditor Eth. sicut disertè inquit; *Iuuenis nõ est proprius auditor Ethicæ, tum quia exercitatione destituitur, tum quia exercitationem fugit propter varias perturbationes & affectus animi, quibus agitatur.* Non vult Arist. à studio Ethico per se excludendam esse ætatem iuuenilem, sed tantùm per accidens, quatenus pleriq; iuuenes vitio iuuenilis temperamenti Ethica præcepta nolunt ad vsum transferre. Qui ergo iuuenes non sunt iuuenes animo & affectibus, sed ætate tantùm, atque adeo qui cupiunt præcepta mor. applicare ad vsum & actionem, illos Arist. vltro ad audiendam doctrinam Eth. admittit, dum in seq. verbis addit, quòd non loquatur *de iuuene ratione temporis & ætatis, sed ratione animi; Non est*, inquit, *à tẽpore qualitas illa quam existimamus, sed a perturbationibus.* Alterum requisitum eius, qui sit idoneus ad exercitationem hanc moral. est, vt sit modestus, nec postulet exquisitas demonstrationes in præceptis Eth. sed sit contentus probabilibus; vbi addit præclara verba; *Est hominis imperiti & inepti aliud genus probationis requirere, quàm materia disciplinæ patitur.* Tertium requisitum est, vt de præceptis rectè iudicet; ea nempe accommodando ad vsum, & paret quoq; se maturè ad vsum & exercitationem facto ipso exprimendam. Deniq; vt foueat in men-

te

te sua discrimen honestorum & turpium, & sit amans honestatis, & cupiat parêre bonis admonitionibus : quę vltima requisita sunt in c. 4. quod caput egregio Epiphonemate concludit ex Hesiodo, qui facit 3. hominum gradus & genera. Primum genus hominum est perfectissimorum, nempe eorum, qui per se sapiunt, & non egent aliorum admonitionibus; Alterum genus est imperfectius quidem, sed tamen bonum adhuc, nempe eorum, qui cum ipsi per se non sapiant, tamen libenter aliorum admonitionibus obtemperant. Deniq; 3. est imperfectiss. & pessimum genus, eorum nempe qui nec ipsi sapiunt, nec alios audiunt. Sunt & alibi dogmata Aristot. memorabilia de proxima virtutis causa, nempe de assuefactione & exercitio actionum honestarum, vt 1. Magn. Mor. c. 6. 2. ad Eud. c. 1. & inprimis 2. Eth. Nico c. 1. vnde nonnulla Axiomata excerpemus. 1. Quilibet idoneus auditor Ethicæ certus esse debet, virtutẽ sibi à natura non esse implãtatam, etiamsi præclaros quosdã igniculos & semina ad eam habeat; qui ignes & quę semina diligenti studio sunt excitanda, amplificanda & perficiẽda; de qua re etiam Cic. 1. & 3. Of. & 1. de Fin. virtutes intellectuales magis doctrinâ & pręceptis comparantur, quam virtutes morales, quæ propterea *Ethicæ* dicuntur, quia τῷ ἔθει, i. consuetudine magis quam præceptis comparari debent. 3. Morales virtutes pro obiecto habent non tam rationem, quam voluntatem & appetitum, idcirco sub actione quadam voluntatis & appetitus, non verò speculatione rationis comparandæ sunt. 4, Quæ naturaliter nobis insunt, ea nulla assuefactione possunt mutari, sed mores possunt cõsuetudine & assuefactione mutari; ideo videmus multos sola consuetudine aliorum suos mores ita mutasse, vt plane alij effecti sint, quam antea fuerant. Nempe non frustra consuetudo dicitur altera natura, quia priorem mutat. 5, cum ergo tanta sit vis assuefactionis, idcirco ingens est ad virtutem adminiculum, si quisque diligenter consideret, quibusnam studiis, exercitijs & assuefactionibus assuescat; Nam qualia illa sunt, talis ille quoque paulatim velut ignorans euadit: si bona sint exercitia, quasi ludendo bonus euadit; sin mala, contra; de quo eodem argumento Quintilianus quoque prolixè & pulchrè differit libr. 1. Instit. cap. 6. Quia autẽ educatio consuetudinem in se complectitur, idcirco maxima

cura

cura esse debet circa primam educationem : vtpote à qua omnis reliqua vita dependet.

2 *Actio moralis productura virtutem, debet esse crebra, & iterata.*

Quia nempe vna actio non est sufficiens ad habitum producendum, quando etiam vna actio non facit cõsuetudinem, cum consuetudo sit actio sæpè repetita, vt pręclare monet Aristoteles cap citato primò.

3 *Numerus autem actionum, siue quoties ad habitum virtutis moralis comparãdum actiones reiterari debeant, id ita exactè definiri non potest, propter magnam naturalium inclinationum in hominibus diuersitatem. Alii enim sunt per dispositionem & temperamentum corporis ad virtutem procliuiores, & hi paucioribus actionibus virtutis habitum acquirere possunt. Alii vero infeliciori dispositione & temperamento corporis nati sunt, vt tales habitus non comparent, nisi sæpiùs iteratis actionibus.*

Quia ad habitum virtutis comparandum duplices causæ pertinent, nempe remotiores quædam & quædam propiores, vt ante diximus, ideo quò causæ remotiores fuerint efficatiores, eò etiam citius causa proxima operabitur, & effectum illum producet. Si ergo natura & tẽperamentum sit benè dispositum ad virtutem; si accurata educatio accessit; si contigit dexter & felix pręceptor, qui præcepta vera, perspicua & methodica tradidit, iam causa efficiens proxima facilius operabitur, & paucioribus actionibus iteratis habitus virtutis implantabitur. Contra vero si causæ remotæ agant debiliter. i. si natura & temperamentum corporis sit minus benignum; si educatio fuit mala: si etiam præceptor & præcepta accesserint minus dextra, iam longè difficilius operabitur causa proxima, & longè operosioribus ac pluribus opus fuerit actionibus ad virtutis habitum acquirendum.

4 *Neque semper ex actionum crebritate, sed ex earundem validitate, siue ex actionibus paucis bene validis*

validis habitus virtutis moralis creatur,

Qua de re accuratissimè Scalig. disputat Exerc.307.sect.4. vbi verba sunt obseruatione digna: *Actionis multiplici repetitione quasi fabricatur habitus*, Et paulo post, *Ex actionum crebritate, aut ex paucis bene validis habitus creatur: sicut cauitas in lapide vel à multis guttis, vel à re solida paucis ictibus.*

5 *Actiones, quibus virtutum habitus comparantur, sunt spontaneæ, non inuitæ.*

6 *Spontanea autem actio ea est, quæ suscipitur ab agente habente in se principium siue causam istius actionis, ita vt possit eam liberè producere, & simul habente rectitudinem notitiæ, & sciente singulas actionis circumstantias.*

Ex iis, quæ suprà docuimus de operatione voluntatis libera, facilè iam intelligi potest, quibus actionibus liberè & non coactè possimus virtutis habitum acquirere. Aristot.3. Eth.c.1 spontaneam actionem definit, quòd sit ea, *cuius principium est in ipso agente sciente singulas suæ actionis circumstantias*; quæ descriptio Philosophi hîc repetenda fuerat; nam vt suprà egimus de spontaneo, quatenus est obiectum virtutis; ita hîc de eodem spontaneo tractamus, quatenus est causa efficiens virtutis.

8 *Spontanea ergo actio oritur ex libero, firmo & constanti decreto & proposito animi, in quo maxima vis ad virtutem sita est.*

Nemo virtutem acquiret vnquam, nisi habeat decretum animi & propositum firmum & constans; Quia sine decreto agendi nulla est actio, sine firmo autem decreto, nulla est certa actio: Nam qui leuiter proponit, leuiter exequitur; & leuis impressio aut nullam aut incertam & dubiam gignit actionem: Nec firmum tantùm oportet esse decretum & firmiter impressum, sed & continuatum & perpetuatum; Nam si quis hodiè proponat se crastino prandio fore temperantem, interim cum ad prandium cras ventum est, illecebris ciborum inescatus, corpus replet nimio cibo & valetudinem lædit, is non habuit propositum constans; ideo nulla

eti-

etiam propositum hoc actio sequitur, quæ temperantiam parere possit. Et hoc est quod Cic. præclarè monet 1. De Fin. *Non satis est iudicare quid faciendum aut non faciendum sit, sed stare etiam oportet in eo, quod sit iudicatum.* Et hoc quidem animi decretum siue propositum firmum ac constans, vocatur sæpe Aristoteli & aliis Philosophis προαίρεσις, vt in definitione virtutis supra citata. Aliàs Proæresis sæpè specialius vsurpatur pro electione, quâ vnum alteri ad virtutem præfertur; sicut supra de Proæresi sic accepta egimus, & iam quoque sequentibus mox canonibus acturi sumus.

9 *Propositum virtutis est vel simplex sine antecedente cõsultatione; vel coniunctum cum antecende consultatione.*

10 *Propositum simplex est, cum sine deliberatione actiones bonas edimus; quod tum fit, quando actio pẽdet tantum à legibus naturæ & vniuersalibus præceptis boni moralis, non autem à certis circumstantiis loci, temporis, & Personarum.*

Et de his actionibus notanda est Regula; *Quicquid dubitante & vacillante conscientia fit, id peccatum est.*

11 *Propositum cum deliberatione est, quod versatur circa singularia bona, siue certas circumstantias loci, temporis & personarum.*

12 *Tale propositum suscipi non debet sine præcedente consultatione.*

Idcirco Aristoteles lib. 3. Eth. c. 2. de tali proposito siue proæresi loquens inquit; *Proæresin esse Spontaneum prius deliberatum siue deliberatam expetitionem eorum, quæ sunt in nostra potestate.*

13 *Deliberatio ergo siue consultatio, est inuestigatio, siue inquisitio mediorum particularium, & in certis circumstantiis loci, temporis & personarum constitutorum, quæ in agendo ad finem virtuti accommodatum assequendum pertinere iudicantur.*

Hæc definitio colligitur ex Aristotele lib. 2. Eth cap. 3. vbi

inquit; ἡ βέλευσις ἐστὶ τῆς ψυχῆς λογισμὸς περὶ τῶν πρακτῶν. *est ratiocinatio animæ de mediis per quæ in agendo ad finem propositum peruenire possimus.*

14 *Differt* βουλὴ, *consilium à consultatione, sicut effectus à causa; nam consilium est certa sententia & conclusio orta ex consultatione, tanquam syllogismo & ratiocinatione, quamuis sæpè consilium & consultatio idem significent.*

Sicut tres sunt Philosophiæ practicæ partes, Ethica, OEconomica, & Politica, ita etiam tria sunt consultationum & consiliorum genera; Ethica enim tum in genere de consultatione tractat, tum specialiùs etiam de consultatione pertinẽte ad virtutes morales, siue ad actiones efficientes virtutem moralẽ; OEconomica autem tractat de cõsultatione rerum domesticarũ & familiarium. Politica autem tractat de consultatione & consilio pertinente ad Rempub. tempore pacis & belli. Quod propterea moneo, ne quis existimet nos de omni consilio & consultatione tractaturos.

15 *Duo in omni consulatione spectanda sunt: 1, obiectum, siue Res, de quibus rectè consultari possit & debeat: 2, modus quomodo de illis rebus consultandum sit.*

De istis duobus in omni consultatione spectandis monet Aristoteles citato 3. c. Eth.

16 *Quod ad obiectum attinet, siue ad res, de quibus consultandum est, ea prima cautio esse debet, ne consultemus de fine, sed tantùm de mediis ad finem ducentibus; nam finis non venit in deliberationem.*

Monet hoc ibidem Aristoteles inquiens; οὐ βουλευόμεθα περὶ τῶν τελῶν.

17 *Ea ergo, quæ sub deliberationem vocari debent, non sint præterita, nec sint fortuita, quæ ex casu aut fortuna pendent; nec sint absolutè necessaria, quæ ex immutabili decreto Dei pendẽt, nec sint necessaria*

necessi-

neceſsitate naturali, quæ nempe ex cauſis naturalibus immutabiliter eueniunt: nec ſint talia, quæ ad nos nihil attinẽt, & denique non ſint talia, quæ penitus non ſint in noſtra poteſtate; ſed ſint talia, quæ vocãtur humana negotia, in quibus vel conſequendis & efficiendis, vel etiam mutandis & emendandis aut declinãdis humana ratio & induſtria aliquid præſtare poteſt.

Ariſtoteles citato loco valdè ſollicitus in eo eſt, vt doceat de quibus rebus ſit conſultandum; & cum multa dixiſſet de iis rebus, quæ ſub conſultationem vocari non debent, tandem concludit eſſe conſultandum de humanis negotiis, quæ propriè ad nos pertinent, & quę per nos effici poſſunt, & quę nõ habent certas regulas & præcepta, atq; adeò quorum euentus eſt dubius. Et pertinent huc monita antiquitatis, vt Terentii loquentis de conſilio rerum fortuitarum; *Incerta*, inquit, *hæc ſi poſtules ratione certâ facere, nihilo plus agas, quam ſi des operam, vt cum ratione inſanias.* De præteritis monet Cic. 1. De Finib. *Quod ſemel admiſſum eſt, coerceri reprimiq; non poteſt.* De naturalibus & neceſſariis idem Cicero 1. Offic. *Non attinet repugnare naturæ, nec quicquam ſequi, quod aſſequi non potes.* De iis verò quæ ad nos non pertinent, monet Gregor. Magni dictum; *Curioſus eſt non qui ſua curat, ſed qui conſilium ſollicitè de alienis capit.*

18 *Modus verò inſtituendæ conſultationis partim in eo eſt, vt certum aliquem ſcopum ponam & conſtituam: partim vt media conſtituam ad illum finem ducentia: partim denique vt prouideã, quomodo illis mediis vtendum ſit, ſiue quomodo executio & applicatio iſtorum mediorum ſit facienda.*

De conſtituendo certo ſcopo, & præfigendo omnibus conſiliis noſtris monet Ariſtoteles tum citato ſæpè c. 3. Nic. tum. 2. ad Eud. cap. 10. vbi inquit, *Qui deliberat, ſemper deliberat alicuius cauſa, & eſt ſemper certa aliqua vtilitas tanquam ſcopus deliberanti propoſita.*

19 *De mediis ipsis videndum est:* 1. *quot numero esse debeant.* 2, *qualia esse debeant.*

20 *In numero considerandum, an paucis, an verò pluribus mediis ad scopum peruenire possimus: & si paucioribus possumus, plura repudianda sunt.*

Ire per ambages cum sint cõpendia præstò: Stultitiæ summum dixeris esse gradum.

Sic citato loco Philosophus sapienter monet, *In mediis primò spectandum esse numerum, & in numero paucitatem;* quod idem iubemur vulgata Gnoma; *Non debet fieri per plura, quod fieri potest per pauciora,* quia nempe in pluribus semper procliuior est confusio & lapsus, quàm in paucioribus.

21 *Alterum in consideratione mediorum debet esse consideratio qualitatis, an nempe media sint honesta, vel inhonesta: an facilia, vel difficilia: an possibilia vel impossibilia. Ex qua consideratione oritur* ἐκλογή, *i. collectio mediorum, quæ fit per* σύγκρισιν, *id est comparationem, quâ comparatione facilia difficilioribus, honesta inhonestis, possibilia impossibilibus præferuntur.*

Aristoteles citato loco.

22 *Vsus siue applicatio & executio mediorum sic instituenda est, vt* 1. *inuestigentur media ordine â primo vsque ad vltimum, & ne vltima cum primis, media cum extremis commiscеamus.* 2, *vt ad manum sumamus idonea auxilia & instrumẽta, per quæ media rectè deliberata possimus executioni mãdare: & denique* 3, *vt dispiciamus opportunam occasionem executionis, ne videlicet vel nimis citò vel nimis tardè rem aggrediamur.*

Aristoteles tria præcepta tradit de vsu siue executione mediorum. Primum præceptum est, media eò vlque inquirenda esse, donec ad vltimum aliquod, sine quo cætera haberi non possunt, peruentum fuerit; nam ab eo, inquit, actionis initium est faciendum. e. g. consilium capiens de bello gerendo, ordine debet deliberationem instituere de pecunia,

de

de commeatu, de armis, de milite, atq; ita peruenire ad vltimum illud medium, sine quo bellum non potest geri. Alterum præceptum est, vt in executione istorum mediorum assumantur socii, siue executores laborum. Tertium instrumentum est, vt assumantur certa instrumenta, siue animata siue inanimata. Nos autem in Canone 2. & 3. præceptis Aristotelis coniungimus, & hoc loco subiicimus præclaram sententiam Cassij, quæ est 2. libr. Epistolarum Ciceronis: *Ipsi homini duplices manus, socias aures, oculos geminos, diuina tribuerunt, vt robustiùs perageretur officium, quod duorum fuerat societate complendum*, Et illud Senecæ Epist. 26. *Ante circumspiciendũ cum quibus edas & bibas, quàm quid edas & bibas*: siquidem, vt ibidem Arist. monet, socii quos assumimus in executione mediorum, debent esse præditi his duabus virtutib. vt sint fideles & industrii. Deniq; 3, quod in canone requisiuimus ex Arist. doctrina, ad idoneam mediorum executionem est occasio, siue circumstantia temporis, ne vel citius, vel tardius aliquid incipias, vel etiam eo tempore incipias, quo efficere non potes : quô pertinet illud Cicero. 1. Offic. *Ad rem gerendam qui accedit, caueat ne id modo constituat, quam res honesta sit, sed etiam vt habeat efficiendi occasionem & facultatem. In quo ipso considerandum est illi, ne aut temerè despexit propter ignauiam, aut nimis confidat propter cupiditatem*, Et Plaut. in Perside; *Virtus est vbi occasio admonet dispicere* Et Plin. dictum pulchrum est lib. 11. cap. 7. *Apes peragunt opus suum, non statis dieb. sed quoties cœli commoditas inuitat: Ita suo quæq; tempore rapienda est occasio*. Et idem Plin. lib. 15. cap 24 inquit: *Morus nouissima omnium germinat, & tamen parit inter primas; Ita qui tempus idoneum opperiuntur rei conficiendæ, etiamsi serius cœperint, tamen maturius conficiunt.*

32 *Consultationem distinguere possumus in* Solitariam & Sociam.

24 *Solitaria est, cum soli consilium capimus: id quod faciendum est, vel in rebus secretissimis, vel cum fidelis amicus non est ad manus; vel denique cum ex improuiso festinanter ex re ipsa consilium est capiendum.*

25 *Socia consultatio est, quando in consilium aduocamus alium aliquem: qui tribus requisitis debet esse præditus.* 1, *vt sit vir bonus*: 2, *vt sit vir prudens*: 3. *vt sit nobis amicus & fidelis.*

Arist. citato sæpe cap. doctrinam de consultatione sic diuidit, vt doceat quædam esse, quæ consilium præcedere debeant, quædam verò quæ cum consilio coniuncta esse debeant, quædam denique quæ sequi debeant. Et inter ea quæ consiliũ debeant præcedere, enumerat τοὺς συμβούλους, *consultores*, siue *socios consiliorum*. Nobis autem placuit consultationem sic distinguere, quod alia sit solitaria, alia socia, quandoquidem nec semper possumus, nec semper vtile est consiliorum socios assumere, aut nostra consilia cum aliis communicare, sicut ipse Arist. inquit, *Consultores esse assumendos* εἰς τὰ μεγάλα. i. non ad quasuis res, sed res magnas, quib. sc. ipsi non sumus sufficientes, siquidem vt Eurip. sapienter monet: εἷς ἀνὴρ οὐ πάντ' ὁρᾷ. *Vnus vir non videt omnia* Et in Prouerbio dicitur: *Plus vident oculi, quam oculus.* Et alio graui Adagio dicitur: ἡ βουλὴ ἱερόν τι, *Consilium res sacra.* Itaque cum in consilium de rebus grauibus vocari sit honore affici, ideo suspecti nobis debent esse illi, qui ad consilium veniunt non vocati. Et adhibendus est is delectus, vt ad consilium adhibeamus 1, viros bonos & pios: siquidem vt Salom. monet Prou 1. *Consilia impiorũ sunt fraudulenta, neque expectanda est res sacra ab homine prophano.* 2, Viros prudentes & in singularibus siue in praxi rerum humanarum versatos, sicut Syrac. monet c. 8. *Cum fatuis consilium ne habeas.* Et Cic. 2. Off. *Ad ea eligenda quæ dubitationem afferunt, adhibere homines doctos debemus, vel etiam vsu peritos, & quid iis de vnoquoque officii genere placeat, exquirere.* Denique 3. vt sit nobis amicus, atque adeo fidelis, qui sancti & secreti silentii fidem seruare norit. Qua de re Salomon etiam admonet Prou. 29. *Anima*, inquit, *recreatur bonis consiliis amici,*

26 *Porro actio inuita, de quâ nunc agendum est, postquam de spontanea satis diximus, est vel imprudens, vel violenta.*

27 *Imprudens est, quæ fit ab agente singularium quarundam circumstantiarum ignaro, culpæ ac fraudis vacuo, & pœnitentiam post factum agente.*

Supra egimus de ignorantia, hîc autẽ breuiter repetimus conditiones eius actionis, quæ ex ignorantia profecta esse dicitur, quas quidem tres canon enumerat ex Arist. inter quas hæc quidem tertia est, vt talem actionem pœnitentia sequatur. Quô pertinet dictum Senec Tr. in Agam. *Quem pœnitet peccati, plerunque est innocens* Cæterum sunt actiones quædam, quæ quidem ignorantiam habent circumstantiæ, interim quia pœnitentia eas nulla sequitur, ideo ad actiones ex ignorantia referri planè non possunt, sed sunt q. mediæ inter voluntarias & non voluntarias, qualis est illa M. Scæuolæ, qui putans Scribam R. Porsennæ esse regem, interfecit Scribam pro rege.

28 *Ad actionem imprudentem referri potest, cum quis ab alio persuasus, deceptus & seductus quid agit: item cum fatui, qui per naturam tales sunt, aliquid patrant.*

29 *Actio violenta siue coacta simul & actionis & passionis naturam includit, nam respectu agentis est actio, respectu verò cogentis, est passio: qui enim coactè aliquid agit, patitur à cogente.*

30 *Est autem actio violenta vel absoluta & simplex, vel mixta.*

31 *Actio absolutè violenta, habet hæc requisita: 1, vt causa siue principium istius actionis sit extra agentem. 2, vt sit ista causa cogens satis valida, cui is, qui violenter agere dicitur, resistere non possit. Denique 3. vt is qui inuitus agere dicitur, nihil adiumenti ad istud principiũ violentum vel accersendum, vel promouendum afferat.*

Supra, cum de voluntate ageremus, etiam in genere egimus de inuito, & ex Aristotele requisita ista enumeraui- *Liuius. cap. 1. lib. 1.*

mus

mus, quæ pertinent ad demonstrandum inuitum violentum.

32 *Violentum mixtum est, cuius principium siue causa quidem est in nostra potestate; sed tamen certa aliqua circumstantia accessit, nempe vel metus alicuius maioris mali, vel electio minoris mali præmaiore, propter quam factum est, vt actio ista aliquo modo violenter suscepta sit.*

Aristoteles citato loco vocat violentam actionem, secundum quid, eamque sic definit, quando vel metu euitandi alicuius mali, vel spe consequendi alicuius boni, vel aliqua necessitate vrgente mouemur ad aliquid suscipiendum, vel agendum, quod aliàs nunquam faceremus. Et in seq. verbis dicit, tales actiones in se consideratas magis esse inuitas, ratione autem finis & temporis, quo suscipiuntur, magis esse voluntarias.

33 *Actiones tales mixtæ vel laudem, vel veniam & commiserationem merentur.*

Aristoteles 4. genera enumerat actionum mixtarum, ex quibus generibus 2. & 4. coincidunt, & debent referri ad actiones vitiosas potius & virtuti repugnantes, quam actiones virtutem efficientes. Itaque duo tantum hic genera actionum mixtarum retinemus, quorum alterum laudem, alterum veniam meretur.

34 *Laudem merentur, quæ suscipiuntur præter decorum quidem, siue pulchritudinem personæ, sed tamen sine scelere, & suscipiuntur propter magnum aliquod bonum, idq; publicum præsertim.*

Talis actio fuit, quando Solon simulauit insaniam, & furibundus procurrit in forum, vt legem quandam Athenis abrogaret, quam si sanus visus fuisset, nunquam abrogasset. Item, cum Zopyrus turpiter fœdauit faciem suam & nares sibi truncauit, vt Regi suo Babyloniam proderet. Huc referri potest factum Timothei, qui se circumcidi passus est, vt Iudæos ad Christum conuerteret, Act. 16.

35 *Commiserationem & veniam ista violenta mixtæ*

mixta merentur, vbi aliquid committitur plus quã indecorum, non tamen adhuc ſceleſtum, & committitur grauiſſ. de cauſis, ad quas homo adigitur propterea, quod eius natura tales cauſas ſuperare non poſſit.

Vt cum Caſinates lora & detractas ſcutis pelles comedunt propter ingentem famem, quâ premebantur in obſidione Annibalis. Item, cum quis, qui hoſti reſiſtere nullo modo poteſt, fugam arripit. De talibus factis Cicero pulchrè diſputat in Orat. pro Aul. Cæcin. & videri huc poteſt pertinere illa actio matris Hieroſolymitanæ, quæ cum fami reſiſtere diutius non poſſet, filium decomedit, in quo tamen facto ſcelus concurrit propter violatam legem naturæ.

36 *Iucunditas ſiue voluptas non facit violentam actionem.*

Probat id Ariſtoteles 4. argumentis, quæ videri poſſunt 3. Ethic. c. 1. ſub finem.

37 *Actiones virtutis ſunt in noſtra poteſtate, neq; noſtri reſpectu fiunt ex fatali quadã neceſſitate.*

Ariſtot poſtquam de ſpontaneo & inuito egit, accedit ad ἀυτεξούσιον, i. ad poteſtatem quam homo habet bene maleve agendi, & dicit: *Virtutes ac vitia eſſe in hominis poteſtate*, quod quomodo intelligendum ſit, tum ex iis, quæ de virib. voluntatis in Præcog. Ethicis docuimus, tum etiam ex iis, quæ monuimus ſupra in hoc ipſo cap ſatis poteſt eſſe manifeſtũ. Nempe intelligendum id eſſe de actionibus pertinentibus non ad bonum ſpirituale, ſed ad bonum morale & ciuile, vtpote ad quod efficiendum inſitas homo habet notitias naturales, quibus poteſt diſcernere honeſta à turpib. Deinde intelligendum hoc eſſe de cauſis internis adiutis à cauſis externis, & inprimis à felicitate illa, quâ quis bene naſcitur & bene educatur. Cæterum Ariſtoteles 3. Ethicor. c. 5. tractans de ἀυτεξουσίῳ, inquit, ἐφ' ἡμῖν ἡ ἀρετὴ, ὁμοίως δὲ καὶ ἡ κακία *Virtus eſt in noſtra poteſtate, ſimiliter & vitia*: idque probat duobus argumẽtis, quæ ibid videri poſſunt. Simul autẽ mouet quæſtiones. 1. *Quid ſentiendum ſit de iis hominibus, qui eiuſmodi habitum vitiorum contraxerunt, vt expreſsè fateantur ſe*

non

non posse aliter agere, vt nonnulli sunt qui dicunt, se non posse abstinere ab ebrietate, à furto, potius se mori velle. Respondet Aristoles, etsi verum sit, qui habitum alicuius vitu contraxerunt, non posse deinde, aut vix posse aliter agere, quam vitiosè; non tamen propterea esse excusabiles, quasi vel inuitè agant, vel actiones istas non habeant in sua potestate. Nam quia ipsi vltro, & videntes ex crebris vitiosis actionibus talem habitum vitiosum sibi impressérunt, cum adhuc esset in potestate eorum integra positū sic agere, vel sic non agere; ideo & voluntariæ hæ actiones sunt dicendæ, & tales, quæ pendeant ex ἀυπξεπίω. Sicut etiam ii, qui cum sciant intemperantiam nocere valetudini, sua tamen intemperantiâ sibi morbum accersiuêre, dicuntur voluntario morbo laborare, etiamsi eo tempore inuitissimi ægrotent, nec sit in eorum potestate iterum hoc morbo depositò conualescere. Altera quæst. est, *Vtrum istæ actiones sint in nostra potestate, quæ proficiscuntur ex imaginatione falsa & corrupta, quando nempe quis existimat, se rectè agere & propter bonum finem, & tamen ista imaginatio eum fallit?* Respondet Aristoteles per distinctionem phantasiæ, siue imaginationis corruptæ. Nam quædam corruptio imaginationis est eiusmodi, quam nulla nostra culpa nobis accersiuimus; vt cum quis fatuus nascitur, aut propter morbum aliquem capitis incidit in mentis corruptionem & delirium, siue etiam furorem & phrenesin: tum enim actiones ex tali imaginatione proficiscentes non sunt in agentis voluntate, sed sunt inuitæ & coactæ. Alia verò corruptio imaginationis est, quam nostra culpa & quam ipsi accersiuimus vel neglectu eorum studiorum, quæ imaginationem gubernant & regunt ne aberret; vel etiam ex praua consuetudine & habitu, cum quis seipsum assuefacit ad stultitiam, stulta crebro audiendo, loquendo, agendo, & qui ex tali imaginationis errore malè agit, neutiquam est excusabilis. Tertia quæstio est, *An istæ actiones, ex quibus acquiritur habitus virtutis, eodem modo in nostra sint potestate, vt ipsi habitus virtutum?* Respondet Aristoteles per negationem; Nam actiones, inquit, è quibus generantur habitus virtutum, ita sunt in nostra potestate, vt eas vel suscipere, vel omittere possimus, item vt eas vel benè vel malè instituere possimus. Habitus autem ratione quidem principii, siue

causæ,

cauſæ, dum nempe adhuc ſunt in fieri, ſiue dum adhuc generantur in nobis, in noſtra adhuc ſunt poteſtate; dum verò iam ſunt generati & implantati, ſunt quidem eatenus in noſtra poteſtate, quatenus ex ſpontaneo voluntatis ductu fiunt, & non coactè ab aliquo interno voluntatis principio; ſed non ſunt in noſtra poteſtate, quoad mutationem, depoſitionem & abiectionem, id eſt vt habitus ſemel implantatos mutare & abiicere poſſimus, atque adeo aliter agere quam ipſi poſtulant. Porrò eodem cap. 5 Ariſtoteles diſputat contra Stoicorum opinionem, qui docebant omnes actiones humanas fieri ex fatali neceſſitate; de qua neceſſitate fatali videatur *Lipſ. in introd. ad Philoſophiam Stoicam.*

38 *Actiones, è quibus virtutum habitus generatur, debent conſtare mediocritate, id eſt proportione quadam concinna inter parum, & inter nimium, Ea enim actiones quæ modum excedunt, vel à modo deficiunt, potius virtutem corrumpunt, quam procreant.*

Ariſt. lib. 2. Ethic. cap. 2. hanc proprietatem maximè inſignem tribuit actionibus virtutem efficientibus, quod nempe debeant conſtare mediocritate, idque probat ex loco oppoſitorum; quia, inquit, actiones quæ non conſtant mediocritate, ſed quæ vel modum excedunt, vel à modo deficiunt nihil habent rectum, vel laudabile; itaque virtutem potius corrumpunt quam generant, potius impediunt quo minus bonus habitus generari poſſit, quam vt eum promoueant. Alterum deinde argumentum ducit à pari; ſicut nimio exercitio corporis vires franguntur & poſternuntur, contrà verò nullo exercitio inſtituto langueſcunt, moderato autem exercitio conſeruantur & firmantur. Item, quemadmodum ſanitas moderata diætâ fouetur & recreatur, nimio autem cibo & potu obruitur; Ita quoque exercitationes voluntatis & appetitus exceſſu & defectu nocent, mediocritate verò iuuant.

39 *Sed quia nihil eſt difficilius, quam tenere medium*

dium, & actiones suas ponere in æquilibrio, propterea quod appetitus hominem rapiat ad extrema, ideo certis opus est adminiculis, quibus adiuti actiones nostras componamus ad auream mediocritatem.

Comprehendimus hoc canone summam capitis verè aurei, quod est vltimum lib. 2. Ethic. Nam nil aliud ibi agit Aristoteles, quàm vt ostendat difficultatem magnam esse in eo, vt quis medium seruet circa actiones morum. Quam quidem difficultatem etiam satis superque experientia commonstrat. Etenim pecuniam dare cuiuslibet est qui habet; sed eam dare cum modo & distinctione personarum, locorum & temporis, id verò quàm sit difficile, videmus quotidiè. Ita edere & bibere est cuiusvis; sed edere & bibere cum modo & mensura valetudinis; id verò est paucorum. Etsi autem valdè hoc sit difficile, tamen non est impossibile, præsertim si illa tria antidota vsurpemus, quæ Arist. præscribit contra venenum excessus & defectus, quæq; sequentibus Canonibus trademus.

40 *Primum adminiculum ad seruandam in actionibus omnibus mediocritatem est, vt ab eo extremo, quod virtuti magis aduersatur, etiam maiori conatu recedamus: contrà verò ad alterum extremum, quod virtuti est adsimius, magis declinemus.*

Hoc præceptum suum Aristoteles confirmat duobus argumentis; quorum prius est tale; Inter duo mala minus est eligendum, ergò etiam inter duo extrema virtutis id est eligendum, quod habet minus vitii, siue quod habet maiorem cum virtute cognationem. Alterum argumentum à simili; sicut vtimur nauigatione velificatoriâ, quando possumus vti nauigatione tali, quæ fit plenis velis; Ita in actionibus virtutis aliquid à virtute declinandum est, quando perfectam mediocritatem seruare adhuc non possumus. Tertium argumentum ducit ab authoritatate Homerica, quæ est 12. Odyss. vbi Calypso Nympha Vlyssi in patriam redituro, & inter duos periculosos scopulos Scyllam & Charybdim in mari Siculo nauigaturo, suadet vt nauim magis deflectat à

Charyb-

Charybdi, tanquam à periculosiori scopulo.

41 *Sed hîc cautio est, ne dum ab vno extremo nobis nimis timemus, incidamus in alterum.*

Quod accidere solet stultioribus ingenijs, secundum illud:

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Item:

Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.

41 *Quando ab excessu declinandum sit versus defectum, vel à defectu versus excessum, id ita accuratè & generaliter definiri non potest; quia in quibusdam defectus est virtuti similior, & idcirco ab excessu magis est fugiendum: in quibusdam verò excessus virtuti est similior, & tum à defectu magis est cauendum: suadent tamen prudentes, excessum vt plurimum magis, quàm defectum esse vitandum; quia excessus difficiliùs mutari potest quàm defectus.*

Atque hoc est, quod Cicero etiam monet 1. De orat. nempe in omnibus rebus esse modum quendam, præcipuè autem in virtute; *Suus cuique modus est*, inquit, *tamen magis offendit nimium, quàm parum.*

42 *Alterum præceptum & adminiculum, per quod actiones nostras ad mediocritatem componere possumus, est, vt ab ijs vitijs ad quæ naturâ nos procliuiores esse sentimus, maximè in contrarium nitamur, etiamsi illud contrarium sit extremum.*

Declarat id Aristoteles pulcherrimo simili: Sicut illi qui volunt ligna curua rectificare: e. g. hortulani volentes rectificare iuuenem plantam incuruatam, flectunt vehementer in oppositam partem: ita quoque si curuam naturam nostram esse sentiamus, debemus eam inflectere summo conatu ad partem oppositam: sic enim fiet vt recta ratione accedente & naturam gubernante, subsistat natura in medio, sicut lignum, tametsi in oppositam partem torqueatur, non tamen versus eam incuruatur, sed in rectitudine consistit. e. g. qui natura se sentit esse procliuem ad auaritiam

am, debet contendere ad prodigalitatem, & sic paulatim incipiet fieri liberalis: contra, si quis sentiat se naturâ propensum esse ad prodigalitatem, debet contendere ad auaritiam; sic enim paulatim incipiet medium tenere.

43. *Tertium præceptum & adminiculum est, vt propositum firmum habeamus contemnendæ voluptatis corporeæ istius, quæ nobis est communis cum bestijs, & contrà propositum firmum habeamus comparandæ eius voluptatis, quæ ad animum pertinet & solius hominis propria est.*

Hoc præceptum Aristoteles confirmat à proprio effecto voluptatis, quod nempe hæc ita corrumpat naturam hominis, vt si eam ducem sequi velimus, nunquam possimus rectè de rebus agendis iudicare. Id quod etiam Cicero dicit in Catone, inquiens: *Impedit consilium voluptas rationi inimica, & mentis perstringit oculos.* Et 2. Off. *Voluptates blandiss. dominæ sæpe maiores partes animæ à virtute detorquent.* Videatur & Seneca epistola 28. vbi inquit: *Quis hostis inquenquam ita contumelioſus fuit, quam in quosdam voluptates suæ?* Deinde confirmat Aristoteles testimonio Homeri, ex 3. Iliad. vbi Proceres Troiani suadent Priamo, vt Helenam ad Græcos ableget iterum, & de regni salute magis cogitet, quam de voluptate. Subfinem huius doctrinæ lubet subijcere prudentem admonitionem & sententiam quorundam Ethicorum, quæ talis est, *Parum deflectere à medio in excedendo vel deficiendo non est vitium semper existimandum, cum medij quædam sit latitudo, intra quam se continentes benè agunt.* Est & hæc admonitio minimè prætereunda, vt si velimus actiones nostras ad auream mediocritatem conformare, proponamus non abiecta, sed altiora & magis sublimia; sic enim fiet, vt actiones nostras ex voluptate corporis minimè metiamur; qua de re etiam Cicero monet in Lælio inquiens: *Nihil altum, nihil magnificum & diuinum suscipere possunt, qui omnes suas cogitationes abiecerunt in rem humilem & abiectam.*

Vide Lips. li 3. Manuduct. disp. 16. *hoc nomine Stoicam Philosophiam laudatis quod spretis humilibus, ad magna stimulos addat.*

Et sic de causis internis virtutis & principalioribus

bus; Externæ causæ sunt: 1. Exempla aliorum benè agentium: 2, Aliorum præmia, quæ ex virtute reportant, & pœnæ quas alij patiuntur propter vitia.

Nimirum hoc sapientis est, ex aliis iudicium capere, sibi quod ex vsu fiet. Et sanè vix vlla res est, quæ hominem ad virtutis studium magis instiget, quam aliorum exempla, idque propterea: 1, quia quicquid homo intelligit, intelligit ex sensu; sicut autem intelligit, ita quoque vult & appetit. Cum ergo exempla vehementer incurrant in sensus, ideo vehementer concitant intellectum & appetitum. Deinde homines plerunque ita iudicant, prout sensibus aliquid apprehendunt. Quando ergo vident alios ita facere, statim per naturæ quendam impetum eô rapiuntur, vt ipsi quoque hoc faciant; quia homo est ad imitandum magis procliuis quam vlla simia. Et quia sensu non fit iudicium, an aliquid rectè fiat, vel non, ideo homines feruntur ad imitationem aliorum quocunque modo agentium; idcirco oportet accedere rectam rationem, quæ iudicet vtrum id, quod ab alio fieri sensus testatur, rectè fiat, an secus: Siquidem aliàs verissimum est, quòd Cicero dicit: *Quod exemplo fit, homines iure fieri putant*: nempe per sensum iure fieri putant, non per iudicium rationis.

CHAP.

CAPVT. II.

De essentialibus propriis, deque effectis virtutis Moralis.

HVcusque de causis efficientibus virtutis; Restant essentialia propria & effecta, quæ seqq. Canonibus trademus.

1 *Essentialis & prima proprietas virtutis est, quod sit posita in mediocritate, siue quod sit qualitas & habitus eiusmodi, cui addita est certa quædam proportio.*

Ludo. Viu. lib. 6. de causis corrupt. art. dicit: Aristotelem merito esse reprehensum à Laur. Valla, propterea quod virtutem statuit esse positam inter duo extrema, ita vt cum vtroque extremo pugnet. Sed argumenta quæ addit Lud. Viu, tam sunt leuia, vt dubitem iocone, an serio tantus author hanc controuersiam Aristoteli mouerit. Nos potius videamus Aristotelis argumenta, quibus libro 2. Ethicorum, cap. 6. probat virtutem esse positam in mediocritate. Ex quibus primum est à pari; *Si in artibus & artium operibus bonitas ac perfectio æstimatur ex mediocritate, multo magis æstimabitur in virtute morali: Atqui in artium operibus id inprimis operam datur, ne quid redundet, & ne quid deficiat, Ergo,* &c.

In arte pictoria summa laus est, quando proportio lineamentorũ obseruatur, vt nihil desit. Cum ergo virtus sit pictura animi, multo magis in virtute obseruari debet proportio actionum.

Alterum argumentum est ab opposito; Quia enim affectus & actiones ideo iudicantur esse vitiosæ & reprehensione dignæ, quia vel plus vel minus illis adest quàm oportebat, ideo necesse est, virtutem constitutam esse in mediocritate; vtpote cum virtus affectus & actiones nostras regat, atque emendet.

2 *Et quia virtus est posita in mediocritate, ideo vnum quid est & certum ac determinatum: Sicut enim medium in qualibet re vnum est, ita quoque vno certoque modo secundum virtutem agi-*

tur

tur; secundum vitium autem agitur modis infinitis.

Aristoteles ibidem hoc quoque argumentum adfert, ad probandum quod virtus sit in mediocritate: quia, inquit, sicut medium in qualibet re tantum est vnum: ita etiam vno tantum modo ex virtute siue per virtutem agere possumus, multipliciter autem & variè in agendo peccare, sicut præclarè dicit ibi Philosophus: *Rectè agere vno tantum modo contingit, peccare autem & errare modis infinitis*: quam eandem sententiam habet in 1. Magn. Moral. cap. 2. vbi inquit: *Malum & vitium est multiforme, Bonum autem est vniforme.* Et Platonis obseruanda est sententia, quæ est 4. de Republ. ἓν μὲν εἶδος τῆς ἀρετῆς, ἄπειρα δὲ τῆς κακίας: *Vna est forma virtutis, infinita autem est forma vitii.* Et veteris Poëtæ Græci versus notetur: ἐσθλοὶ μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς δὲ κακοί: *Boni se habent simpliciter, mali autem admodum variè & diuersè.* Itaque tandem infert Philosophus ducendo ad absurdum: Si virtus non esset posita in mediocritate, sed vel in excessu, vel defectu, tum sicut vnius rei plura sunt extrema, & sicut vitia sunt infinita, ita quoque vnius rei plures essent virtutes, & virtus esset infinita, quod est absurdum.

3 *Medium, in quo consistit essentialis proprietas virtutis, est medium rationis seu personæ, siue est medium Geometricum, non Arithmeticum.*

Aristoteles citato loco duabus velut differentiis specificis virtutem definit: quarum 1. est, quod sit habitus proæreticus. 2. quod sit habitus positus in mediocritate, sed addit, in mediocritate quoad nos, & qualiter vir prudens determinat: quibus verbis vult distinguere inter mediocritatem, & dicere virtutem esse positam in mediocritate personæ siue rationis seu Geometrica, non autem mediocritate rei siue Arithmetica. Est enim medium duplex, vnū rationis seu personæ, quod *Geometricum* dicitur: Alterum rei, siue *Arithmeticum*. *Medium rei* dicitur, quod æqualiter distat, siue quod vtrinque pariter distat à suis extremis, sicut centrum ex omnibus partibus æqualiter distat à circumferentia. Dicitur medium Arithmeticum, quia proportio æqualis numerorum ex tali medio oritur, & vt quaternarius numerus est medius inter

duo & ſex: quia ſicut diſtat à numero binario, ita etiam diſtat à numero ſenario. Item, nouenarius numerus dicitur medius inter ſex & duodecim, quia tribus vnitatibus ab vtroque diſtat; ſuperat enim ſenarium numerum ternario, & ternarius rurſus ſuperatur à duodenario: Et de tali medio dicit Ariſtoteles, quod ſemper maneat idem ſine vlla variatione circumſtantiarum. *Medium* vero *perſonæ* eſt, quod vni extremorum interdum eſt vicinius, ab altero autem remotius, ſiue quod neque deficit, neque redundat plus quam requirũt certæ circumſtantiæ loci, temporis & perſonæ. Vocatur *medium proportionis Geometricæ*, vtpote in quo ſeruatur eadem ratio maioris termini ad medium, & medii ad extremum. Eadem dico ratio ſeu proportio, non vero eadem paritas. Ita ſenarius numerus eſt medius inter 4. & 9. non quia iiſdem vnitatibus diſtat à quaternario & nouenario; ſed quia eadem eſt proportio; ſicut enim ſenarius numerus habet proportionem ſeſquialteram ad quaternarium, ſic nouenarius numerus habet ſeſquialteram proportionem ad nouenarium: id eſt, ſicut ſenarius continet quaternarium in ſe ſemel, & adhuc inſuper iſtius quaternarii dimidium; ita nouenarius continet in ſe ſenarium ſemel, & adhuc iſtius ſenarii dimidium, nempe ternarium. In ſumma, medium rei ſiue Arithmeticum eſt veluti plenaria identitas; medium vero perſonæ ſiue Geometricum, eſt tantum ſimilitudo, quod illi facilè intelligent, qui intelligunt iſtam regulam Logicam: *Simile non eſt idem*: Et de tali medio dicit Ariſtoteles, quod non ſemper ſit idem, ſed varietur pro circumſtantia loci, temporis & perſonæ: & addit, quod prius medium non conueniat virtuti: ſed hoc poſterius tantum, idque propter has duas cauſas: quarum prior eſt, quia virtus non æquali prorſus interuallo à ſuis extremis diſtat, ſed cũ altero maiorẽ cognationẽ habet, quã cum altero. Exempli gratia, liberalitas non æquali plane interuallo diſtat ab auaritia, & prodigalitate, ſed propius accedit ad prodigalitatẽ, quã auaritiã 2. ratio eſt, quia virtus debet ſe accõmodare circũſtantiis locorum, temporũ & perſonarum: quod fieri non poſſet, ſi ſemper æquali interuallo diſtaret à ſuis extremis. Exempli gratia, liberalẽ nõ oportet idẽ munus exhibere omnibus perſonis, ſed pro dignitate perſonarum, dat vni perſonæ largius,

alteri

alteri vero parcius. Deinceps declarat etiã Aristoteles id, quod in definitione virtutis dixerat, *virtutem seruare medium quoad nos, sicut vir prudens determinat*, id est, quoniam magna est varietas personarum, locorũ & temporum, ita vt quæ actiones specie videntur esse similes, propter circumstantias varias fiant dissimiles; ideo necesse est accedere prudentiam, quæ seruet discretionem in personis, locis & temporibus, & tamen in ista discretione teneat medium, ne illud deflectat nimis ad alterutrum extremorum.

4 *Cum ergo medium virtutis pro ratione circumstantiarum varietur, atque adeo sit instar regulæ Lesbiæ, quæ flecti & variis rebus accõmodari potest, ideo necesse est omnibus virtutibus moralibus rectricem quandam addi, per quã discamus, quomodo istud medium flecti possit pro circumstantiarum, id est, loci, temporis & personarum variatione, quæ rectrix medii siue virtutis dicitur* Prudentia.

Aristoteles 6. Eth. vocat *Prudentiam perfectionem virtutis*, & in 2. Ethic. virtutem definit, *quod sit habitus in mediocritate positus*, ita vt vir prudens determinat; Nam quia ita flexile est hoc medium & pro circumstantiarum ratione variabile, idcirco in tanta varietate non est cuiuslibet, medium hoc posse tenere, sed tantum prudentis, qui ex vsu rerum & longis exercitationibus cognoscit, quid singulis personis, locis & temporibus sit accommodatum. Quod si aliquis hîc obiiciat, non posse illud mediũ virtutis ita esse variabile nisi ipsa quoque virtus sit inconstans & variabilis quædam res: Respondemus, virtutem, quatenus est habitus, omnino esse quiddam certum, constans & firmum, sed modum existendi siue agendi secundum virtutem variari, ita tamen vt iste modus quoque agendi in illa ipsa varietate habeat suam regulam, nempe rectã rationem & prudentiam, sicut Aristoteles dicit, *virtutem esse habitum positum in mediocritate determinatũ λόγῳ & viro prudenti*, id est, prudentia. Cũ enim pro circumstantiarũ ratione virtus actiones suas variet, ne temerè hoc videatur fieri, neve à recto aberret, tota actio ad rectã rationẽ exigenda est, sed exigenda est non à quouis, sed

à prudente, qui inter rectum & prauum in omnibus circumstantiis nouit discernere. Itaque recta ratio est regula mediocritatis, accedente etiam moderamine finis quia finis quoque mensurat mediocritatem, per omnes circumstantias, sicut dicitur: *Finis dat mediis mensuram.* Mouet Aristoteles eodem isto 6. cap. quæstionem minimè nobis prætereundam: Quandoquidem virtus est mediocritas, *vtrum recte Pythagorei dixerint eam esse* ἀκρότητα, i. *extremitatem.* Respondet ergo Aristoteles per conciliationem siue distinctionem, nempe, virtutem esse mediocritatem ratione suæ essentiæ, dici autem à Pythagoricis extremitatem, sumendo vocabulum extremitatis pro perfectione, ita vt dictum Pythagoræ, *virtus est extremitas*, perinde accipi debeat, ac si dixisset, *virtus est perfectio*, vtpote cum in rebus humanis virtus occupet supremum locum & gradum dignitatis. Plutarchus in opusc. de virtute, Aristotelem cum Pythagora pulchrè conciliat, inquiens, *virtus est extremitas, quoad qualitatem suam: & quatenus est facultas siue habitus, eadem virtus est mediocritas secundum Quantitatem suam, quatenus tollit excessum & defectum.*

5 *Cum autem omne medium sit inter extrema, ideo quoque virtus habet extrema sua, nempe vitia, ab vna parte quidem excessum, ab altera vero defectum.*

6 *In hac comparatione virtutis cum suis extremis triplex spectatur oppositio; vna medii & extremorum; altera, extremorum inter sese; tertia denique extremorum cum medio.*

7 *Virtus suis extremis ita opponitur, vt alterum superet, ab altero verò superetur; Atque adeo cum vno extremorum comparata sit maius quid, cum altero verò comparata sit minus quid.*

Sicut æquale comparatum cum minori est maius, comparatum vero cum maiori est minus: exempli gratia, senarius numerus comparatus ternario est maior, comparatus autem nouenario est minor: Ita quoque virtus si cum eo extremo,

tremo quod est in defectu comparetur, maius quid est, si autem comparetur cum altero quod est in excessu, est minus.

8 *Quod ad similitudinem attinet, maior est pugna duorum extremorum inter sese, quam extremorum cũ medio; siue, vt breuius dicamus, virtuti cum vitio minor est pugna, quam vitiorum inter sese:*

Valdè paradoxus videri potest hic Canon, quem Aristoteles ponit 2. Ethicorum 8. vbi inquit: *Extrema sibi mutuo magis aduersantur quam virtuti.* Addit duas rationes, quarũ prior est, quia extrema à se inuicem longius distant quam à medio. Quæ autem à se inuicem longius distant, illa etiam inuicem magis pugnant. exempli gratia, scribatur in vna linea.

Prodigalitas ——— *Liberalitas* ——— *Auaritia.*

Hic sanè ad sensum apparet quod linea prodigalitatis longius distet à linea Auaritiæ, quam linea liberalitatis à linea prodigalitatis & auaritiæ. Altera ratio est, quia maior est dissimilitudo inter extrema, quam inter medium & extremum. exempli causa, longè maior est dissimilitudo inter Auaritiam & Prodigalitatem.

Demus exemplum in numeris & Quantitate continua. In numeris tria & nouem longius distant quam nouem à sex & tria à sex, & linea parua à magna magis differt, quam ab æquali. Sic etiam audax magis differt à timido, quam à forti. Nimirum virtus cum vtroque extremorum maiorem habet æqualitatem & affinitatem, quam extrema inter sese, & est similis numero senario constituto inter ternarium & nouenarium. Quo in loco grauissima obiectio oritur, quomodo virtus dicitur minus pugnare cum vitiis, quã vitia inter sese, cum tamen vitia genere conueniant & specie tantum differant, virtus autem cum vitio etiam genere discrepet. Quam obiectionem vt soluamus, duplex pugna obseruanda est, virtus enim vitio opponitur vel absolutè & secundum naturam suam, quatenus est bonum quid: atque hoc modo virtus magis opponitur vitiis, quam vitia sibi, & virtus magis discrepat ab extremis, quam extrema à se inuicem: vel consideratur virtus comparatò tantum, conferendo

similitudinem quandam, quam habet virtus cum extremis & extrema inter sese, & hoc modo maior est similitudo medii cum extemis, quam extremorum inter sese: atque adeo etiam pugna extremorũ maior inter se, quam cum medio. E.c. si compares similitudine quadam inter sese prodigalitatem & auaritiã, vtique similitudo minor est auaritiæ & prodigalitatis, quam prodigalitatis & liberalitatis: quia sicut liberalitas est in erogando, sic & prodigalitas est in erogando, auaritia autem tota est in retinendo & accipiendo.

9 *Quia ergo extrema conantur succedere in locum medii, & magnã habent cum medio cognationem, idcirco tanto magis declinandũ est ab extremis siue vitiis, quanto magis ad similitudinẽ virtutis accedunt.*

Præclarũ Aristotelis monitũ est eodem c. quod à vitio eo magis sit cauendum, quod maiorem habet cum virtute similitudinẽ, & quo magis vitiosi propter eã similitudinem cupiunt haberi pro virtute præditis. Sic audax vult haberi pro forti, respectu timidi, quia audacia habet maiorẽ similitudinem cũ fortitudine, quàm timiditas: Et prodigus vult haberi pro liberali: quia prodigalitas habet maiorẽ similitudinem cum liberalitate, quã auaritia: De qua re etiam præclarè Cic. in Partitionib. *Discernenda*, inquit, *diligenter sunt, ne fallant nos vitia, quæ virtutẽ videntur imitari: nã prudentiam versutia, fortitudinẽ audacia, liberalitatẽ effusio imitatur: et patiẽtiã durities ĩmanis, et iustitiã acerbitas, et religionẽ superstitio, et lẽitatẽ mollities animi et verecundiã timiditas.* hinc etiã Poëta Iuuenal. inquit. Sat. 4.

Fallit nos vitium specie virtutis & vmbrâ,
Cum sit triste habitu, vultuque & veste severum.

Et Ouid. lib 1. de Remed. amoris:

Et mala sunt vicina bonis: errore sub isto,
Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.

Idcirco ibidem etiam monet Aristoteles, ne conemur excusare vitia nostra propter similitudinem, quam habent cum virtute, siquidem vt præclarè inquit Seneca, Epistola 117: *Vitia nostra, quæ amamus, defendimus* (nempe nomine virtutis) *& malumus excusare ista, quam excutere.*

10 *Extrema medio nõ opponũtur æqualiter, sed vnũ magis, alterũ minùs medio aduersatur: Interdũ enim*

magis

magis virtuti aduersatur excessus, interdũ defectus, quod pro diuersis virtutib. diuersimodè etiã est accipiendũ; ita vt nulla certa definita regula hîc tradi possit.

Aristoteles 2. Ethicorum cap. citato, hunc canonem tradit, quod *extrema non possint in omnibus virtutibus æqualiter medio opponi, sed quod pro diuersa natura virtutum, diuersa etiã sit extremorum oppositio*; & addit duas rationes; 1. *Ea quæ magis sunt similia, minus inter se pugnant.* Iam autem fit vt interdum vnum extremum sit similius virtuti, interdum alterum. Ergo etiam fit, vt interdum magis, interdum minus pugnent extrema. Altera ratio est ducta à cõmuni & sapienti præcepto quod ab iis extremis debeamus magis nobis cauere, ad quæ natura sumus procliuiores; Ex quo sequitur, vnum extremum magis aduersari virtuti quam alterũ; quia magis cauendum.

Atque ita complexi sumus totam præclarissimam Aristotelis doctrinam de Mediocritate, quæ est essentialis proprietas virtutis, per quam nempe à vitio maximè secernitur; quia virtus habet modum, vitium est sine modo: *Medium tenuêre beati, extrema tenuêre infelices.* Nunc restat vt aliquot canonibus etiam persequamur necessariam admodum doctrinam de gradibus vitiorũ, sine quâ impossibile est iustitiam rectè colere & administrare. Nam vt grauissimè Cicero monet: *Cauendum est, ne maior pœna quam culpa sit.* Et Mauritianus Iurisconsultus: *Perspiciendum est iudicanti, ne quid aut durius aut remissius constituatur, quam causa deposcit. Nec enim seueritatis aut etiã clementiæ gloria affectanda est.* Nec debet probari eorum sententia, qui omnia vitia & delicta ponunt in pari gradu; hi enim tollunt omne honesti & turpis discrimen, & magnam confusionẽ inducunt in totam societatem humanam: Quin potius obseruetur Regula planè aurea, quod in pœnis infligendis propter delicta non sit seruanda proportio Arithmetica, sed Geometrica, ita vt causa delictorũ & personæ, locus & tempus, itemque qualitas, quantitas, siue gradus delictorum & euentus obseruentur. Quam doctrinam de gradibus vitiorum, etsi pauci Ethici tradant, tamen neutiquam nobis prætereunda fuit: cum præsertim videamus Melanchthonẽ diligentissimè hanc materiam persecutum fuisse, secutũ scilicet vestigia Aristotelis in 5. & 7. Ethicorum.

11 *Etsi vitium sit extremum quoddam virtutis, tamen habet suos gradus, præsertim si vitium non tantum sumatur pro vitioso habitu, sed etiam pro vitiosa actione siue delicto, quod contrariatur virtuti & eius actioni.*

Sicut virtus & virtutis actio habet suos gradus, ita quoque vitium & vitiosa actio certis graduum interuallis distincta est, ita nempe vt vnum vitium sit excusabilius altero, & sæpe magis commiseratione dignum, quam pœna.

12 *In discernendis delictorum gradibus non solum ad ipsum factum, sed etiam, & quidem maximè, respiciendum est ad animum facientis, ita vt consideretur, an ex destinato quodam animi proposito & consulto, an inconsultò illud patrarit.*

13 *Quæ consulto patrantur, illa vel doli vel culpæ nomen habent.*

Iurisconsulti istam doctrinam mutuati sunt ab Ethicis de discrimine doli & culpæ: Aliàs reuera hæc ad Ethicam pertinet, ita vt consultò facta dicantur ea vitia & delicta, in quibus vel dolus vel culpa deprehenditur.

14 *Dolus ergo est eiusmodi gradus delicti, qui ex destinatiori quadam malitia & consilio atque instituto alterum decipiendi & fallendi proficiscitur: qui quidē* dolus *à Iurisconsultis* malus *etiā apellari solet.*

Nam Iurisconsulti faciunt dolum bonum & malum: dolum bonum abusiuè vocantes cautionem in eiusmodi rebus, quæ per se & sua natura nec bonæ nec malæ sunt, vt in vendendo & emendo interdum dolus bonus admitti potest, cum nempe non decipitur emptor aut venditor, sed pro annonæ ratione id agitur, quod ex lucro est, siue id simplex & stupidior emptor animaduertat, siue non. Mouentur hoc loco quæstiones aliquot non inutiles. e.g. *An Romani iuuenes dolū admiserint, quādo virgines Sabinas inuitantes ad spectacula ludorum, rapuerunt ad coniugia?* Et respondent quidem præstantiores Ethici & Iurisconsulti, quod omnino sit dolus, &

quidem

quidem malus; tum quia insidiosa fuit machinatio, tum etiam quia virgines istæ antea coniugium Romanæ iuuentuti denegarant, & idcirco non nisi coactè in coniugium eorum venire potuerunt. Sic dolum commisit tribus Beniamitica, quæ de consilio filiorum Israel, filias Silo solenni festiuitate inuitatas in vineas ad ducendas choreas clandestinis insidiis in vxores sibi rapuit. Theologi quærunt; *An fuerit dolus, quando Rebecca & Iacob callido stratagemate Esauo præripuerunt benedictionem primogenituræ.* Et concludunt non fuisse dolum; idque propterea, quia diuino instinctu & Isaaco patre non improbante, Esauo verò turpiter suam causam perdente & primogenituram vendente, denique Deo id ratum habente, id factum est. Quærunt porro etiam Iurisconsulti: *An sit dolus, si quis coniugi medicamentum curet dari, quo adiuuetur procreatio sobolis, & interim medicamentum illud malè cedat & noceat coniugi.* Et negant præstantiores Iurisconsulti esse dolum, propterea, quia medicamentum illud non fuit datum malo animo; malus autem animus semper in dolo requiritur. Sic etiam quæritur: *An sit dolus, quando callido aliquo stratagemate & ex insidiis hostes circumueniuntur in bello & cæduntur:* Respondeo, dolum quidem dici posse, sicut Poëta etiam nominat; *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* Sed non esse propriè dolum malum, quia suscipitur animo necessariæ defensionis, & animo parcendi suis militibus & subditis. Sed illud fateor me non satis intelligere, quod quidam magni Iurisconsulti scribant: sicut iis qui bella gerunt, conceduntur stratagemata & doli quidam militares, ita quoque in foro litigantibus concessas esse callidas machinationes, & aduocato iustè (hoc enim verbum disertè addunt) litiganti licitum esse, aduersarium suum dolosis cauillationibus rem agentem, iterum dolis & fallaciis impetere.

15 *Et ita quidem dolus definitur. Culpa dicitur esse actio vitiosa per imprudentiam facta, quæ tamen humana diligentia euitari poterat.*

16 *Quoniam vero per imprudentiam variè peccatur, & in rebus prouidendis aliàs maior, aliàs*

minor

minor diligentia adhibetur, vel adhiberi etiam potest: ideo quidam culpæ gradus constituti sunt, sic vt culpa alia dicatur lata, *alia* leuis, *alia* leuissima.

17 *Lata culpa est, cum quis per crassam ignorantiam admittit talia, quæ omnes vel sciunt, vel scire debebant: aut ignorans ea intermittit, quæ summo studio erant expedienda: atque adeo quando aliquis qui aliena vel curanda, vel seruanda in se recipit, eam diligentiam in istis rebus non adhibet, quam in suis propriis erat adhibiturus.*

18 *Hæc culpa licet non sit ipse dolus malus, tamen ad eum proximè accedit, ita vt in nonnullis casibus etiam in doli appellationem incurrat.*

19 *Leuis culpa est, cum quis non ex malitia quidem, sed tamen ex segnitie animi peccat; nec exactam illam diligentiam præstat, quam homo consideratus in rebus suis secundum communem hominum naturam præstare solet:*

Exemplum leuis culpæ est in parentibus Christi, qui Hierosolyma è festo domum reuersuri, eam in Christo puero custodiendo diligentiam non adhibuerunt, quam secundum communem hominum naturam parentes adhibere solent. Referunt huc nonnulli illud exemplum, quando præceptor in castigando aliquo puero modum excedit. Item, quando Medicus vel imperitè curat ægrum, vel ægrum etiam deserit. De quo tamen posteriori exemplo non nihil dubitamus propterea, quod impostura & dolus videatur, si quis se profiteatur esse Medicum, & tamen non sit medicinæ satis peritus; nisi fortè de tali imperitia loquamur, quæ non est circa quasdam singulares circumstantias, in quibus etiam peritus medicus errare possit.

20 *Æquum iudicatur, vt infirmitas culpæ annumeretur, cum nemo affectare debeat id, in quo intelligit,*

telligit, vel saltem intelligere debeat infirmitatem suam aliis periculosam fore.

Hunc Canonem plenum lenitatis siue ἐπιεικείας, ex Ethica doctrina mutuantur Iurisconsulti, & docent infirmitatem esse annumerandam leui culpæ. Per infirmitatem autem intelligunt debilitatem ingenii & iudicii: vt cum Medicus labitur in sua arte, cuius alioquin est peritus, id quod propter infirmitatem humanam facile accidere potest.

21 *Leuissima culpa est, cum quis non adhibet exactissimam considerationem & diligentiam, qualem consideratissimus, peritissimus & diligentissimus quisque supra communem hominum naturam & consuetudinem in propriis suis rebus adhiberet.*

Aristoteles id dilictum, quod Iurisconsulti *leuiss. culpam* vocant, appellat ἁμαρτημα q. dicas aberrationem non omnis culpæ vacuam. Qualem aberrationem & culpam commisit Adrastus ille, de quo Herod. scribit, quod cum in venatione hastam in aprum torqueret, aberrante ictu, Crœsi filium interfecerit, quem interficere minimè cogitauit. In quo quidem peccauit Adrastus per culpam & aberrationem leuissimam: si. n. rectè detorsisset telum & hastam, & in eo non aberrasset, vtique regis filium non interfecisset. Sic culpæ hoc genus incurrere censendus est tonsor, qui sellâ in lubrico loco collocatâ, facit eo modo vt nouacula impingatur in gulam eius, cuius capillos abradit, aut etiam si sellam collocauit in loco periculoso, vbi vel pila vel lapis ludentis pueri, in nouaculam incidere potuit, atque ita is, quem sub manu habet, vulneratur. Quæstio hoc loco mouetur, *An sit culpa leuissima si pugil alterius pugilis, cum quo dimicat, oculum inter pugillandum effodiat.* Vbi quidem nonnulli sunt in hac sententia, culpam hanc aut esse leuem, aut etiam leuissimam: sed esse quiddam grauius etiam leui culpâ, probabimus paulo pòst ex similibus casibus.

22 *Hactenus de* dolo & culpa. *Petuntur etiam delictorum gradus ex propositi ratione: quia*

sunt

sunt quædam delicta, quæ consulto & destinato fiunt: quædã verò, quæ vel ex casu vel animi perturbatione.

23 *Ex casu fieri dicuntur, quæ præter omnem agentis cogitationem fiunt.*

Aristoteles vocat ἀτυχήμα, tanquam aduersa & iniqua fortuna fuisset autor talis facti, qualia ἀτυχήματα sunt ruinæ, tumultus, aquarum exundationes, latronum & hostium incursus, repentini interitus, tempestates & naufragia: qui casus à nemine præstantur, nisi conuentum fuerit, vt præstarentur. Exemplum casus est, cum aliquis tempore & loco consueto exercet iaculatoriam, & scopum ferire cupiens, aliquem vltra scopum obambulantem plumbeâ glande præter omnem animi cogitationem, ignarus transuerberat: Item, cum quis ligna secans, & securim fortiter impellens, aliquem à tergo, quem adesse ignorat, occîdit: vel etiam quando securis ei è manubrio excidit, & alterum fortè fortuna præterambulantem tangit & interimit.

24 *Fortuitus casus non excusatur, quãdo id ex quo casus iste ortus est, aut saltẽ, quod isti casui occasionẽ præbuit, vel planè illicitum est vel ludicrum & otiosum, ita vt omitti rectius & honestius potuerit.*

E. g. si quis otiosus sedeat in præcipitio montis, & ibi tempus velit fallere deijciendis lapidibus in vallem sub isto monte sitam, & interea aliquis in valle sub isto monte ambulet aut stet, & lapis iste, quo homo otiosus in monte ludit, impingatur alteri in caput; ludens non excusatur casu fortuito, sed luere propterea debet, quia ludit. Sic etiam si quis in tecto ædium sedeat, aut in muro, & per lusum tanquam otiosus homo tegulas è tecto, aut saxum è muro deijciat, & infra stantem aut euntem occidat, non excusatur casu fortuito: nã etsi in hoc casu abfit intentio cædis, tamen causa cædis omnis abest, siquidem vt Iurisconsulti dicunt: *Res licita seria casum excusat: Res vero illicita & iocularia casum atrociorem reddit.*

Aliud ergò est si cæmentarius in tecto laboret, & laboranti ei tegula excidat, & prætereuntem interficiat: Nam ibi & intentio cædis abfuit, & seria fuit occupatio ista, ex qua casus

ortus

ortus est. Quæritur hîc, *An is possit excusari casu fortuito, si quis domi suæ ob necessariam causam stipulam seu stramen, aut sarmenta exurendi causa incendat, & interim ignis vlterius grassatus vicinas ædes succendat, & damnum aliis inferat?* Hîc distinctè respondendum est; Nam si tempore vel loco eiusmodi, quæ ipse periculosa esse scire potuit & debuit, id fecerit, culpæ reus est. Sin autem omnia quæ debuit obseruauerit, & tamen subita vis venti ignem longius propulerit, excusatur casu fortuito. Cæterum ex eo, quem dedimus, canone, solui etiam poterit quæstio, quam paulò antè proposuimus; *An nempe, si quis ioculario certamine, quali pugiles vtuntur, cum altero congrediatur, & ei vel oculum effodiat, vel vitam planè eripiat, sit excusabilis casu fortuito*; Respondet Canon, non esse planè excusabilem, quod id ex quo casus ortus est, nempe ioculatorium certamen ludicrum fuerit, & omitti sine detrimento potuerit.

25 *Quando propositum malè agendi adest, etiamsi executio fiat in alio subiecto, quam in eo, ad quod propositum directum est, tamen factum, seu actio vitiosa est, & excusari casu non potest.*

E. C. quando aliquis habet propositum occidendi Titium, & interueniat fortè Caius ad dirimendam pugnam, atq; ita Titio saluo manẽte Caius interficiatur; autor etiamsi Titi non Caium interficere voluerit, tamen reus est homicidii: quia fuit in eo occidendi propositũ, quod propositũ in casu excusabili neutiquam concurrere debet. Sic Mutius Scæuola iure interfici potuisset à Porsenna Rege, & puniri tanquam reus læsæ Maiestatis, & hostis vitæ regiæ: Nam etsi non regem, sed scribam regis trucidarit, tamen quia propositum trucidandi Regis habuit, perinde est ac si Regem ipsum interfeciſſet.

26 *Si causa casus, & euentus mali in agente saltem fuerit aliqua, etiamsi non fuerit totalis & plena, tamen agens non excusatur, sed reus est istius casus.*

E.g. si quis irâ feruidus arripiat bacillum aut tale aliquid, quod nimis imbecillum aut debile putabatur instrumentum

ad

ad hominem interficiendum aut si cogitet se istum hominem tantum leuiter velle verberare, & interim res sic cadat, vt ille ex leui percussione trucidetur, non est excusabilis is qui interfecit; quia si non totalem, saltem aliquam tribuit homicidio causam. Quo de casu Deus ipse sententiam tulit, Exod. 21. Num. 25. Deut. 19. *Si quis*, inquit, *per odium hominem truserit, vel iniuerit quicquam per insidias, aut, cum esset inimicus eius, manu cum percusserit, homicidij reus esto.*

27 *Tantum de actionibus siue delictis, quæ casu fiunt; Ex animi perturbatione & vehementiori affectu illa fieri dicuntur, quæ quidem non planè consulto fiunt, sed tamen excusantur interdum; propterea quod proficiscãtur ex affectu tali, qui hominibus sit naturalis, quique hominibus etiam præstantioribus dignus habetur.*

Aristoles 5. Ethic. c. 8. dicit ea facta mereri veniam, quæ fiunt ex vehementiori quadam animi perturbatione, sed tali tamen perturbatione, quæ sit naturalis & homine digna. Quô referri potest factum Mosis, qui propter vitulum ab Aarone conflatum irâ accensus tabulas diuinæ legis confregit, Exod. 22. item factum Phineæ, filii Aaronis, qui irâ commotus scortatorem & meretricem interfecit. In quibus tamen exemplis obseruari debet extraordinarius quidam motus & perturbatio animi, quã non omnes imitari debẽt vel possũt.

28 *Vbi ergo affectus aliquis est præter naturam accersitus & homine indignus, ibi factum non excusatur, quod ex tali affectu profectum est.*

Vt si quis ex odio vel inuidia aliquid patret, aut etiam ebrietate; nam tales affectus sunt præter naturam & homine indigni. Aristoteles quidem docet eos, qui ex ebrietate aliquid patrant, digniores esse veniâ, quam qui consultò & destinatâ malitiâ aliquid patrant; sed loquitur de ebrietate illa, quæ non est ex habitu, nec est studiosè quæsita, seu tali quæ præter opinionem & infirmitate quadam oboritur, qualis fuit Nohæ & Lothi ebrietas.

29 *Quamuis ea delicta quibus indecorum aliquid*

quid & turpe admittitur propter exiguũ commodũ, vehementer sunt culpanda; tamen ea quoque reprehensione inprimis digna sunt, quæ propter magnam quandam gratiam & vtilitatem, vel propter euitandas pœnas, supplicia & cruciatus vehementes suscipiuntur.

De talibus delictis tractat Aristoteles libro 3. Ethic. cap. 1. primo dicit delicta quædam esse, quæ exigui alicuius cõmodi causa perpetrantur, ita vt magnum dedecus personæ inferãt propter paruam vtilitatem. E.g. cum Vespasianus Imperator magnam exactionem imposuit ex lotio in ærarium deferendam, saltem propterea vt ditesceret resp.

Quo alludens Poeta Iuuen. Satyr. 13. canit;

——Lucri bonus est odor ex re qualibet, &c.

Huc referri debet factum illud Vlyssis, qui insaniam simulauit, ne cogeretur in bellum Troianum proficisci, vt posset domi otiosè & delicatè viuere; quod notat Cic 3. De Offic. Simile factum fuit Esau, qui propter pulmentum vendidit fratri primogenituram. Sed non tantũ, vt canon docet, illud reprehensione dignum est, si quis propter paruum cõmodum aliquid turpe admittat, sed etiam si quis id faciat propter magnum cõmodum, aut euitationem magni cruciatus. Sicut memorabiliter Aristot monet li. 3. Eth. c. 1. *Quædam*, inquit, *sunt talia, ad quæ perpetranda nemo cogi debet, quin potius extrema pati & mori conuenit*, &c. Si cui ingens summa pecuniæ offeratur, vt patriam prodat, potius omnẽ pecuniam conspuere debet, quã hoc admittere: Itẽ, si quis, vt amico gratificetur debeat iniquã sentẽtiam pronunciare: in quo memorabilis eluxit virtus Periclis, quẽ cũ rogaret amicus eius vt pro re causaq; eius falsũ deieraret, respondit: Δεῖ με συμπράττειν τοῖς φίλοις ἀλλὰ μέχρι θεῶν. *Oportet ita me iuuare amicos, vt ne offendã deos* Quod Apoththegma recenset Gel. li: 11. c 3. Pertinẽt huc exempla eorũ, qui propter ingentes cruciatus abnegant fidem Christianã, qualia exempla multa referũtur à Niceph. li. 10. c. 19. à Theoderet. l. 3. c. 13. Sozõ. li. 5. c. 8. Pertinet huc etiam exemplum Lucretiæ & Catonis, qui seipsos interfecerunt, vt ignominiam euitarent. Pertinet item illud exemplum Rom. mulieris apud Niceph. l. 7. c. 21. quæ vt Maxẽti li-

libidinem declinaret, seipsam interfecit. In talib. potius faciendum erat, quod fecit magnus ille Princeps CONDÆVS, de quo in Hist. Gal. refertur, quòd cum Carolus IX. rex Gal. ipsi in aula regia capto optionem dedisset, vt eligeret ex his tribus vnum; nempe vel *missam*, vel *mortem*, vel *perpetuum carcerē*: respondit heros Christianiss. *Primum Deo iuuante nunquā eligam; duo reliqua regis arbitrio permitto: sic tamen, vt benè sperem Deum hæc quoque sua paterna prouidentia gubernaturum.*

30 *Est & hoc proprium virtutis, quod eius laus omnis in actione consistit.*

Verba Cicer. nota sunt, sed res ipsa explicanda est, id quod facit Arist. 1. Eth. c. 8. vbi concludit actionem & vsum virtutis præstantiorem esse virtutis possessione & habitu, idque ex eo probat quia habitus etiam possunt esse in iis, quos nemo actu laudat & prædicat, e c. in dormiētibus: deinde probat simili; Quemadmodum, inquit, in ludis Olympicis coronabantur, non qui habitu corporis pulcherrimo & viribus robustis erant prædīti, sed qui fortiter pugnando vincebant; Ita quoque non tam laudandi sunt illi, qui virtutis habitu prædīti sūt, quam ii, qui ex habitu agunt. Et sanè omnes res, ex quibus actio aliqua profluere debet, in actione ista exercenda perfectionem suam adipiscātur, id quod inductione omnium rerum probari potest.

31 *Actiones autem, quæ virtutis habitum sequuntur, differunt ab iis, quæ virtutis habitum præcedunt, eumque generant: Nam quæ præcedunt virtutis habitum, constant quidem mediocritate, sed non ita confirmata per rectam rationem & per regulam prudentiæ.*

Quia virtus ex bonis actionibus generatur, & ipsa tamen etiam bonas actiones generat, atque ita actionum simul est & filia & mater; ideo oportet diligentiss. discernere inter eas actiones, quæ generant virtutem, & inter eas, quæ ex virtute generantur. Quod discrimen apertè monstrauit Aristoteles 2. Ethic. 4. quod totum c. in ea doctrina cōsumit. Primum autem discrimen illud est, quod actiones generantes virtutem constent solummodo, sicut Aristoteles loquitur, *nudâ & sim-*

simplici mediocritate: Eæ autem quæ sequuntur virtutis habitum constent mediocritate ea, quæ est secundum rectam rationem, id est, quæ per *prudentiam iam magis est accommodata ad circumstantias loci, temporis & personarum.*

32 *Actiones sequentes virtutem æstimantur ex animo & persona agentis: & debent fieri ab eo, qui sit verè gnarus & sciens omnium circumstantiarum.*

Ponit Aristoteles in isto capite aliquot notas, secundum quas iudicandæ & æstimandæ sint omnes actiones, si verè dici debeant ex virtute proficisci, inter quas prima est, vt agens εἰδὼς sit tum eius quod agit, tum etiam modi quo agit. De qua re etiam Cicero 1. Officiorum: *Vt quisque maximè perspicit, quid in quaque re verissimum sit, quidque aptissimum, & celerrimè potest videre & explicare rationem, ita prudentissimus & sapientissimus ritè haberi solet.*

33 *Actiones sequentes virtutem debent fieri certo animi proposito & consulto; non temerè nec fortuitò.*

Hæc est altera nota, quam ibi ponit Aristoteles, vt agens agat προαιρέμενος, id est, sic agat, vt firmiter sibi proponat, se ita & non aliter acturum, & simul etiam intelligat rationes consilii & propositi sui, cur ita & non aliter agere velit. De qua re etiam Seneca libro primo De virtutibus: *Nihil*, inquit, *tibi subitum sit, sed totum ante prospicias: nam qui prouidens est, non dicit, non putaui hoc fieri: quia non dubitat; sed exspectat: non suspicatur, sed habet.*

34 *Debent etiam istæ actiones proficisci ex amore virtutis, & debent fieri primariò propter seipsas, non propter aliam aliquam causam, quæ sit virtute indignior.*

Hanc 3. notam ponit Arist. vt agens ex virtute sit προαιρέμενος δι' αὐτό, id est, proponat sic agere propter ipsam virtutem, & eius amorem, non autem propter aliquod commodum suum, aut propter fauorem aut gratiam eorum, qui actioni isti intersunt: Nam qui vel aliorum impulsu vel

propter emolumentum & fauorem aliquid agunt, ſimulatores potius ſunt virtutis quam veri actores: neque agunt conſtanter, ſed tamdiu, quamdiu ſuæ actionis commoda ſentiunt, & ſuarum actionum ſpectatores adeſſe vident, neque agunt eo zelo & feruore, quo debebant. Quo nomine Cic. 3. Tuſcul. notat Gracchum, qui omnes actiones ſuas referebat non ad virtutis ipſius normam, ſed ad populi fauorem, vt popularis diceretur.

35 *Actio ex virtute proficiſcens debet fieri conſtanti propoſito & voluntate animi, ita vt neque deinceps cupias aliter agere, neque ſemel tantum aut iterum quid agas, ſed perpetuo, nec tantum perpetuo, ſed etiam æquabili tenore.*

Quartam notam probæ actionis Ariſtoteles hanc ponit vt agens ſe habeat βεβαίως καὶ ἀμεταπτώτως, id eſt, conſtanter & immobiliter. Hinc nimirum præclara vox Socratis, quam habet Stob. Serm. 1. *Vt ſtatuam ſua baſi, ita viritutis ſtudioſum firmo propoſito nixum immotum eſſe debere*. Et hoc eſt, quod dicitur, *Vir bonus ſemper idem eſt*. Quæritur autem *an is, qui virtutem exercet perpetuo ſibi ſimilis eſſe debeat*, ſicut dixerunt Stoici, *ſapientem ſemper eſſe parem, ſemper eundem*, prout de eo ex ſententia Stoicorum ſplendidè diſputat Lipſ. ſub finem lib. 2. Manuduct. ad Phil. Stoi. & ſub initium 3. & notum eſt illud, Virum bonum eſſe ſimilem tetragono, id eſt, quadrato lapidi, qui in quamcunque partem collocetur, perpetuo immobilis iacet, aut ſaltem ita firmus, vt non tam facilè moueri poſſit ſicut globus. Reſpondetur autem, virum virtute præditum, & eſſe, & non eſſe ſemper eundem, diuerſo reſpectu. Eſt ſemper idem quoad propoſitum bene agendi & quoad continuationem actionum bonarum. Non eſt ſemper idem, quoad varietatem circumſtantiarum, quibus ſe tanquam prudens accommodat, ita vt ſemper quidem rectè agat, & mediocritatem talem, quæ habeat ſuam latitudinem & ſuam proportionem Geometricam accommodatam locis, temporib. & perſonis, id quod facilè intelligi poteſt ex doctrina iſta de mediocritate virtutis propria, quam ſupra tradidimus.

36 *Actio sequens habitum virtutis coniuncta est cum voluptate, quæ voluptas simul est testimonium & signum habitus moralis siue virtutis acquisitæ.*

Quintam hanc notam ponit Aristot. actionum ex virtutis habitu proficiscentium, quod nimirum is, qui ex virtute agat, agat ἡδέως, i. cũ animi delectatione & voluptate: & simul addit hanc esse notam habitus iam acquisiti & virtutis introductæ, si quis sine animi molestia & cum delectatione ac voluptate virtutis munia exequatur: quemadmodum cap. 3. eiusdem libri peculiarem doctrinam instituit de signo, vnde quis possit cognoscere se habitum virtutis esse adeptum, aut non esse adeptum: & docet signum illud quemlibet capere posse ex seipso: Si enim in se sentit quod cum voluptate aliquid agat, tum iam certus esse potest se habitum bene agendi habere: si verò cum molestia & tergiuersatione quadam agit, nondum sibi polliceri potest se ad habitum virtutis peruenisse. Et addit rationem, cur voluptas sit signum acquisiti habitus: quia, inquit, Voluptas & dolor sunt communia obiecta omnium virtutum & vitiorum: ex obiectis autẽ optimè iudicari potest de bonitate potentiarum atque habituum. Atque huc pertinet etiam illud, quod Arist. sub initium 4. istius c. monet de discrimine inter has phrases, *iusta agere*, & *iustè agere*, item *fortia agere* & *fortiter agere*. Nam *iusta agere*, inquit, significat actionem, quæ editur ante acquisitum habitum iustitiæ, & potest fieri quocunque modo, etiam sine habitu virtutis: iustè autẽ agere est ex habitu iustitiæ agere, ita vt qui iustè agit necessariò sit iustus: etsi non necessariò sit iustus qui iusta agit. e. g. Cambyses iustũ egit, cum iniquo iudici pellem detraxit, sed non propterea iustè egit, quia non habuit habitum iustitiæ. Id quod Arist declarat simili: Quemadmodum. n. non statim est Grammaticus, qui Grammaticum quicquam in sermone profert (nam aliàs & Psittacus esset Grãmaticus, dum Grammaticum istud χαῖρε profert) Grammaticè autem is dicitur loqui, qui artis Grammaticæ habitum habet. Ita quoque aliud est virtuosum aliquid agere, aliud virtuosè agere.

37 *Virtus occupatur circa ardua & difficilia.*

Hoc proprium virtutis monstrat Arist. sub finem c.3. secundi Ethicor, vbi inquit: *Virtutis proprium munus est, quo pacto nos circa res arduas gerere debeamus, quia in talibus vis & præstantia virtutis maximè elucet.*

38 *Virtus conciliat amorem & laudem, tam apud beneuolos, quam aduersarios & hostes.*

Virtus resistit prauæ hominis naturæ & corruptos affectus domat: quod dum facit, rem arduam facit, & necessariò sui amorem sibi conciliat, etiam apud hostes nostros, vtpote quib. insunt naturales notitiæ & discrimina honestorum & turpium: qua de re multæ apud Cic. & alios egregiæ extant sententiæ, quas olim in suis Ethicis locis communib. ad hunc titulum notabunt studiosi Eth. Nos hîc doctrinam de virtute in genere, quam plenè tractare instituerамus tanquam fundamentum Philosophiæ practicæ, concludentes, ad virtutum species properamus.

CAPVT III.

De virtute dirigente in genere: & primò quidem de Prudentia.

HActenus doctrinam de virtute in genere explicuimus: consequens est, vt ad virtutes in specie accedamus.

Est autem omnis virtus vel dirigens, seu communis, vel directa seu specialis.

Virtus dirigens est, quæ tanquam norma speciales virtutes regit & gubernat.

Canones generales de virtute dirigente sunt hi.

1 *Virtus dirigens reliquas virtutes omnes, præsupponit amorem & venerationem Dei, amorem sui ipsius, & denique amorem aliorum hominum ac*

totius

totius societatis humanæ.

2 *Amor & timor seu veneratio Dei intelligitur hîc generalis, vbi ex notitiis naturalibus Deus agnoscitur tanquam omniscius & iustus, qui cogitationum & actionum nostrarum conscius, eas, si bonæ sint, sit remuneraturus: sin malæ, puniturus: Cui amori ac timori Dei opponitur* Atheismus & Epicureismus.

In omnibus hominibus naturâ manifestum est, quod de Deo cognosci potest & debet, nempe quoad externam disciplinam. Itaque fons ac fundamentum omnium virtutum moralium ad externam disciplinã pertinentium est charitas Dei, nostri & proximi, vnde illud grauiss. monitum Virgil. *Discite iustitiam*, &c. Quod si etiam accedat plena notitia Dei ex verbo, tum virtutibus moralibus ad externam disciplinam pertinentibus additur etiam gradus quidam eminentior, vt fiant bona opera Deo ad salutem placentia: sed ita Theologo ista tractatio resignanda est: nam in Ethicis eatenus solum de amore Dei tractatur, quatenus etiam extra respectum æternæ salutis in hominibus absolutè consideratis, i. tam Christianis quam non Christianis, gubernat mores & disciplinam externam siue bonum morale.

3 *Amor sui ipsius siue philautia etiam gubernat omnes virtutes morales, præsertim autem eas, quæ ad nos ipsos pertinent, vt est temperantia: Nam quia hoc nobis natura insculptum est, vt nos ipsos amemus, ideo etiam nobis ipsis bene esse volumus, & virtutes illas amplectimur, per quas nobis bene esse possit.*

Aristoteles 9. Eth. c. 4. pulcherrimam habet doctrinam περὶ τ φιλαυτίας, & inquit, Μάλιστα ἕκαστος ἀυτόφιλ; *Sibi ipsi quilibet maximè amicus est.* Et Plato, φίλ ἑαυτῷ πᾶς ἄνθρωπ φύτει ἐστί; *Omnis homo naturâ sibi amicus est*: Et Cic. 3. De Fin. *Seipsos omnes naturaliter diligunt*: Quod Scholastici ista regula voluerunt, quâ dixerunt, *Charitas incipit à seipsa*, siue *officium facit à seipsa.*

4 *Solus vir bonus seipsum amat, atque idcirco sibi bene vult, sibi benefacit secundum partem sui præstantiss. nempe mentem, quam studet veris bonis, i. virtutib. exornare: vnde & vir bonus secum ipse optimè concordat & consentit, vtpote habẽs appetitum rectæ rationi obsequentem: Quin & secum ipse libentiss. habitat & versatur, secum iucundissime cõgaudet propter conscientiã rectè factorum, & propter contemplationem rerum iucundiss. quam habet in animo suo.*

Hæc omnia ex præclariss. doctrina Arist. deprompsimus effecta φιλαυτίας quib. ompib. adiungimus eximium Senecæ dictum Ep. 9. *Non nisi sapienti omnia sua placẽt, omnis autem stultitia laborat fastidio sui* Quæ omnia quomodo intelligenda sint, & quam nihil faciant ad cæcum sui amorem, paulò pòst dicetur.

5 *Vir malus contra reuera sibi non bene vult, neque benefacit, quia non studet sibi vera animi bona acquirere, sed tantum sectatur bona apparentia, i. voluptatem & diuitias, seu bona externa; quæ malis hominibus nunquam bona sunt, sed semper noxia.* Accedit *alia ratio*, cur vir malus non possit seipsum amare, *quia secum non consentit, sed perpetuo secum pugnat, dum nempe id quod ratio suadet, dissuadet appetitus, & contra. Atque hinc etiam fit, vt vir malus nunquam possit gaudere, & toto animo iustus lætari: quia dum gaudet secundum appetitum, tristatur secundum rationem & contra.*

6 *Quin & hinc est, cur malus non libenter sit solus, nec libenter viuat secum, sed semper consortia quærat & sodalitia hominũ voluptuariorũ, cũ quib.*

possit

possit tempus fallere; Est enim solitaria vita ei permolesta, partim propter recordationem scelerum, partim propter metum pœnarum, partim denique quia scit, quod secum non consentiat, & quod conscientia euigilatura, & ingentem ei mœstitiam allatura sit.

Aristotelis hi sant Canones citato cap. vbi 6. proprietates affert veræ & bonæ φιλαυτίας, nempe 1, quod qui verè est φίλαυτος, sibiipsi bene velit. 2, quod sibiipsi bene faciat. 3, quod secum ipse consentiat 4, quod sibiipsi libenter cohabitet. 5, quod sibi congaudeat, vbi congaudendum est: vel condoleat, vbi condolendum est : denique quod suam salutem & incolumitatem inprimis expetat & procuret. Quibus adduntur aliæ proprietates odii sui ipsius, quod est in malis, è quibus proprietatibus 5. iam enumeratis, sexta exprimetur sequenti Canone.

7 *Inde etiam fit, quod vir malus non verè amet suam vitam, salutem & incolumitatem, sed potiùs odio eam prosequatur, quod ex eo manifestum est, quia vitam suam corrumpit intemperantiâ & aliis vitiis, & sic sibi ante tempus mala & morbos accersit.*

8 *Opponitur ergo veræ Philautiæ.* 1. *negligentia sui ipsius, cum quis præ stupore quodam mentis se & sua negligit, quod est fatuorum.* 2, *odium sui ipsius, & desperatio ac crudelitas in seipsum, in famam suam, & in bona sua, vt cum quis seipsum mutilat, sibiipsi infamiam sponte accersit, seipsum interficit: Ex altera parte veræ Philautiæ, opponitur cæcus amor suiipsius, quem Græci eleganter* αὐθάδειαν *vocant, sibi placentiam, qua quis sibi adulator est & parasitus.*

9 *Huius deterrimi vitii fontes & proprietates*

sunt: 1. *Stultitia, siue error rectæ rationis, dum nempe sibi placens malè ratiocinatur, propterea omnes actiones suas esse bonas, quia à seipso sunt profectæ: cum tamen bonitas actionum non inde æstimanda sit, sed ex seipsa & scopo suo. Alter fons eiusmodi Philautias est, quod non distinguit* φίλαυτος, *individuum à specie, & plus æstimet individuum, quàm totam speciem humanam, nec æstimet actiones suas ex communi bono societatis humanæ, sed ex suo tantum individuo. Tertius fons vitiosæ* φιλαυτίας, *quod si quid habeat boni & virtutis, illud iudicet esse maius, quam reuera est, & ei addat gradum decem pedum, cum vix adsit quantitas vnius pedis. Quartus fons est, quod vitia quæ habet, iudicet esse minora quàm reuera sunt, & cum sint vlcera lethalia, existimet tantum esse papulas.*

10 *Ex his fontibus effectus proueniunt.* 1, *quod* φίλαυτος *seipsum admiretur* 2, *quod arroganter de se loquatur.* 3, *quod etiam in grauissimis vitiis sibi ignoscat & blandiatur.* 4, *quod aliorum admonitiones ferre non possit, sed seipsum excuset, omnesque alios & aliorum admonitiones despectui habeat, & denique nil aliud recti putet, quam hoc, quod ipse fecit.*

11 *Ex his rectè concludimus, cæcum amorem suiipsius esse principium & fundamentum omnium vitiorum.*

Ita vt rectè dixerit Plato de Leg. ἡ φιλαυτία καὶ αὐθαδία πάντων ἁμαρτημάτων αἴτιόν ἐστι *Cæcus amor suiipsius omnium peccatorum causa est;* addiderim ego, *& omnium virtutum immorum quam mentis remora & impedimentum:* idque proterea, quia qui aliquid debet acquirere, eum necesse t id prius quærere; qui autem quærere debet aliquid, eur ne-

eeſſe eſt agnoſcere ſe iſta re indigere. Cum ergo is qui amore ſui faſcinatus eſt, putet ſe iam habere id, quod non habet, atque ita indigentiam ſuam non agnoſcat, ideo etiam non quærit ea, quæ ipſi deſunt, & per conſequens, ad veram virtutem nunquam pertingit. Huc pertinet illud vetus: *Multi ad ſolidam eruditionem peruenissent, niſi ſe iam peruenisſe putaßent.* Latini eleganter tales homines, qui cæco ſui amore prægnantes ſunt, vocant *Suffenos*, & in Hieroglyphicis tales exprimuntur per ſimiam grauidam. Ariſtoteles libro 9. Ethicorum capite 8. fatetur quidem, affectum φιλαυτίας hominibus eſſe innatum, ſed addit dandam eſſe operam, vt φιλαυτία, iſta ſit bona, non autem vitioſa, per quam quis cupiditatibus & affectibus ſuis indulgens, in expetendis voluptatibus & bonis externis modum excedit, & variis ſceleribus ſe contaminat: Et addit, virum bonum hanc vitioſam φιλαυτίαν fugere, & alteram illam bonam amplecti, ita vt per eam excolat præſtantiſſimam ſui partem, videlicet mentem, quam ſtudet virtute & plurimarum rerum ſcientiâ exornare, vt non ſibi ſolum, ſed etiam aliis, imò toti ſocietati humanæ poſſit eſſe ſalutaris.

12 *Et ſic de Amore ſui; Tertius affectus directorius eſt amor aliorum hominum, quem proximi amorem vſitatè vocamus, & qui amor ex amore noſtri ipſius oritur & menſuratur; nam idcircò proximum ſuum quilibet diligit, quia ſe primò rectè dilexit.*

Ita Ariſtoteles docet citato lib 9. Ethic. cap. 12. vbi inquit: *Primum iſtum amorem, quo homo hominem diligit, nempe amorem ardentißimum parentum oriri* ἐκ τῆς φιλαυτίας, *ex amore ſuiipſius.* Vt enim quiſque ſe ipſum amat, ita quoque amat, quæ ab ipſo emanarunt: Liberi autem ſunt de ſubſtantia parentum, à quibus habent non ſolum animam, corpus & vitam, ſed etiam vitæ ſubſidia, nempe nutrimentum & educationem. Eth. cap. 4. lib. 9. ait, fontem amicitiæ & beneuolentiæ omnis oriri ex philautia, vt & omnia officia, quæ amicus amico præſtare debet: & idcirco ſolum virum bonum poſſe eſſe aliis verum amicum, & præſtare veri amici officia, quia ſolus vir bonus ſeipſum amat & ſibi verè amicus eſt;

Contra

Contrà virum malum & improbum non posse vlli homini verum esse amicum, neque veræ amicitiæ officia præstare, propterea quod seipsum non amet, & sibiipsi amicus non sit.

13 *Amor autem iste proximi vel est naturali vinculo coniunctorum, vel saltem ciuili vinculo.*

14 *Naturali vinculo cognati nobis sunt parentes, fratres, sorores, cognati, agnati & quodammodo etiam proximi, affines; itaque his intensior quidam gradus amoris debetur.*

Aristoteles 9. Ethicor. cap. 2. dicit in amore & eius officiis præstandis habendam esse rationem naturalis cognationis & dignitatis personarum, ortæ ex coniunctione; itaque discerni debere parentes, fratres, cognatos, ciues, vicinos, populares, &c.

15 *Parentibus debetur summus amoris gradus post Deum; vtpote à quibus vitam, victum & educationem accepimus: Debentur & amoris duo effecta, nempe* τὰ τροφεῖα *id est*, vitæ subsidia, *si ijs egeant; deinde* τιμὴ, *honor.*

16 *Præceptores parentibus æquiparantur, propterea, quod sint veluti quidam patres animorum, ac eius perfectionis quæ est in animo nostro.*

17 *Fratribus & sororibus debemus amorem proximum ab amore parentum, & ex amore officia, quæ huic sanguinis cognationi conueniunt, & quæ procreant libertatem sermonis in colloquiis, consiliis & admonitionibus.*

18 *Cæteris agnatis, cognatis & affinibus proximus à fraterno amore amor debetur, & ea inprimis officia, quæ ad generis & familiæ honorem pertinent.*

Ita nempe humaniter Aristoteles sentit de omnibus spe-

ſpeciebus amoris, quas homo homini debet, vt ſingulis ſpeciebus ſingula officia nominatim aſſignet. Et de amore quidem quem cognatis, agnatis & affinibus debemus, hoc inprimis præcipit, vt familiæ concordiam & decus per talem amorem conſeruemus; vnde etiam ſolemus eos ad nuptias, ad funera, & ad alias familiæ ſolennitates inuitare.

19 *Cæteros homines, veluti ciues, populares, tribules, vicinos, proximè à cognatis, agnatis & affinibus amare debemus, & ex illo amore eiuſmodi officia illis præſtare, quibus tueamur concordiam iſtius ſocietatis, in qua nobis cum illis viuendum eſt: ac primario ſpectemus virtutem ipſis propriam, prout nullus homo eſt, qui non habeat ſingulare aliquid quod laude dignum eſt: deinde ſpectemus etiam virtutis vſum, per quem poſſint illi nobis prodeſſe, vel etiam ob eius virtutis meritum nos poſſimus illis prodeſſe.*

Et tantum quidem de affectibus, quibus informatur virtus dirigens; ſequitur vt nunc ſpecies virtutis dirigentis conſideremus, quæ ſunt duæ, nempe Prudentia & Iuſtitia vniuerſalis.

Prudentia eſt virtus dirigens, per quam bona à malis diſtinguimus, & inter ipſa bona delectum habemus, quæque adeo moderatur omnes alias virtutes in accommodatione mediocritatis ad diuerſas circumſtantias loci, temporis & perſonarum.

Φρόνησις ἀπὸ τῆς φρενὸς, id eſt, à mente, cuius præcipuum hæc virtus eſt ornamentum, Latinis à *prouidendo* dicitur, quaſi prouidentia, tum quia per hanc virtutem quiſque prouidet, quid fugiendum, quid eligendũ ſit, & quid ſit accommodatum circumſtantiis loci, temporis & perſonarum; tum quia præcipuus etiam huius virtutis eſt in prouidendis futuris. Eſt autem ambiguitas in vocabulo *Prudentia*, cautè diſcernenda. Interdum enim prudentia ſignificat diſci-

disciplinam aliquam integram, & sic diuiditur in diuinam & humanam. Diuina est S. Theol. Humana iterum diuiditur in generaliorem & particulariorem. Generalior est Ethica disciplina, œconomica & Politica. Particularis est prudentia Iuris. Interdum verò prudentia sumitur pro virtute, quæ in aliqua disciplina consideratur. Et sic tractatur in Ethica tanquam pars Ethicæ disciplinæ, siue tanquam virtus ducens ad finem disciplinæ Ethicæ: Quare sicut differt Totum à parte, ita prudentia, per quam Ethicam definiuimus, differt ab hac, quam nunc tradimus. Cæterum quæritur, *An prudentia, quæ hoc loco consideratur, sit virtus intellectualis seu moralis*, siquidem Aristoteles in 7. Eth. cap. 5. inter virtutes intellectuales prudentiam numerat; nos autem hîc eam videmur referre ad morales: Respondendum est, prudentiam esse quandam mixtam virtutẽ ex intellectuali & morali, & esse quidem intellectualem ratione subiecti, & causæ efficientis, quia pendet ab hominis ingenio & iudicio: esse autem moralem ratione obiecti & finis, quia prudentia per se non perficit appetitum, & non tam tendit ad felicitatem contemplatiuam quam practicam, siue bonum morale & ciuile. Idque Aristoteles quoque docet libr. 6. Eth. cap. 5. vbi inquit, hoc esse discrimen inter artem & prudentiam, ita vt aliquis possit esse bonus artifex, qui non sit vir bonus, Prudentia autem indiuisibiliter sit coniuncta cum virtute morali, ita vt nemo possit simul esse vir prudens, & vir malus. Et cap. vlt. eiusdem lib. egregia quædam corollaria de hac ipsa re Philosophus ponit. 1, Prudentia sine virtute morali, & virtus moralis sine prudentia esse nequit. 2, Solus vir bonus reuera est prudens, & solus prudens reuerâ vir bonus, omnes contra stolidi & imprudentes sunt mali: Is qui verè prudens est, habet omnem virtutem moralem; quia prudentia ostendit, quæ mediocritas in omnibus actionibus virtutum sit secundum rectam rationem seruanda. 3, Quoniam omnes virtutes morales prudentiæ vinculo copulatæ sunt, ideo etiam inter se sunt copulatæ, quæ enim in vno tertio connectuntur, inter se connectuntur; & per consequens, is qui vnam virtutem perfectam habet, etiam reliquas omnes habet. Porro definitionem prudentiæ, quã dedimus, deduximus ex Aristotelis citato ante cap. 5. libr. 6. Ethic. vbi sic definit

finit prudentiam, quod sit habitus verus cum recta ratione actiuus, occupatus circa ea, quæ homini sunt bona vel mala; Et addit statim, virum prudentem esse eum, qui possit bene iudicare & consultare de iis, quæ ipsi vel aliis sunt bona & vtilia, non ex parte solum aliquâ, sed quoad totam viuendi rationem. Cæterum de necessitate & vtilitate prudentiæ multa præclarè monet Aristoteles cap. 12. huius libri, vbi inquit, quoniam felicitas ciuilis comparatur actionibus virtutum, quæ consistunt in mediocritate secundum rectam rationem: hanc autem definit sola prudentia, ideo sine prudentia neminem posse virtutis finem assequi & fieri felicem: Et addit rationem Aristoteles ductam ab exemplis eorum, qui prudentiæ laude celebres vnquam fuerunt; hi enim omnes simul quoque virorum bonorum nomen habuerunt, aut si postea aliud compertum est, quod nempe boni viri non fuerint, potius versuti & callidi, quam prudentes dicti sunt.

Obiectum prudentiæ sunt τὰ πρακτὰ, *id est, omnia, quæ homini ad bene viuendum necessaria sunt, adeoque etiam leges & præcepta, quæ de rebus tradita sunt, denique omnia bona, mala & neutra.*

De obiecto prudentiæ tractat Aristoteles 6. Eth. c. 5. vbi inquit, *Prudentiam versari* circa τὰ πρακτὰ. i. circa omnia ea quæ homini ad bene agendum sunt necessaria; idque probat 2. rationibus; quarum prior ducta est ab exemplis virorum prudentium; Nam inquit, Pericles, Themistocles, Solon, Lycurgus, & quicunque alii nomen virorum prudentium habent, propter hanc vnicam causam istam laudem obtinuerunt, quod in rebus agendis consilio valuerint. Altera ratio est ducta ab Etymol. τῆς σωφροσύνης, *Temperantiæ*; Σωφροσύνη, inquit, dicitur quasi, σώζουσα τὴν φρόνησιν, quia conseruat iudicium de rebus agendis, quemadmodum intemperantia corrumpit iudicium & voluntatem circa res agendas, ita vt nec verum finem actionum cernere, neq; media idonea ad finem eligere possit. Idē Cicero docet 2. de Inuent. vbi inquit: *Prudentia est rerum bonarum, malarum & vtrarumque peritia.*

Idem

Idem etiam Laërtius libr. 7. ex ſententia Stoicorumn confirmat.

Quia autem τὰ πρακτὰ, agibilia vitæ humanæ ſunt contingentia, ſingularia ſeu in diuidia, ideo prudentia humana ōnis verſatur circa incōſtātia, varia & ambigua, & per conſequens, nemo debet prudentiæ ſuæ nimium tribuere; quia obiectum huius virtutis valdè eſt lubricum.

Et hoc eſt quod magnus ille heros & Cancellarius Poloniæ *Iob. Samoysky* felicis memoriæ ſolitus eſt dicere, *Prudentia rerum humanarum eſt in ābiguitate.* Quod autem circa ſingularia verſetur prudentia, id Ariſt. citato libr c. 8. docet pulchra comparatione inſtituta inter prudentiam & ſcientiam, vbi inquit; *Scientia verſatur circa vniuerſalia, quorum notitia comparatur per euidentem explicationem & demonſtrationem: Prudentia autem verſatur circa ſingularia, quorum notia comparatur per experientiam & inductionem.* Et paulo poſt comparans prudentiam cum intelligentia, dicit has virtutes habere obiecta quodammodo oppoſita & contraria; quia intelligentia verſatur circa ea, quæ ſunt ſuprema in ordine naturæ, & quorum nulla poteſt reddi ratio, cuiuſmodi ſunt principia prima. Prudentia autem verſatur circa ſingularia, quæ ſunt in ordine naturæ infima, quæque ſolo ſenſu fundamentaliter cognoſcenda & diiudicanda ſunt.

Cauſæ efficientes prudentiæ ſunt tum principales, tum minus principales.

Principalis cauſa prudentiæ iterum eſt vel remotior, vel propior.

Remotior cauſa prudentiæ eſt, 1. Σύνεσις, Perſpicacitas: 2. Δεινότης, Solertia: *& deniq;* 3. Μνήμη, Memoria.

Nonnihil intricatè Ethici hanc doctrinam de prudentia tradunt, ac aliquot velut ſorores & ſocias prudentiæ conſtituũt quas alii etiam *miniſtras* vocant, vt eſt. 1. Εὐβουλία, dexteritas conſilii. 2. συνεσις, *perſpicacitas.* 3. γνώμη, *ſententia de aliis.*

ὃς 4, δεινότης, *solertia naturalis.* Sed si accuratè & logicè rem consideremus, tum εὐβουλία est effectus prudentiæ, vt etiam γνώμη. Σύνεσις autem vt & δεινότης, sunt causæ efficientes prudentiæ, sicut & μνήμη & ἐμπειρία, quas alii quidam Ethici ex libello Aristotelis de virtutibus faciunt socias Prudentiæ.

Synesis seu Perspicacitas, est peculiaris quædam dispositio ac benignitas naturalis temperamenti in nonnullis humanis individuis, per quam celeriter possunt intelligere, quæ quot media pertineant ad finis alicuius assecutionem. 2, iudicare, an ista media sint bona & vtilia, nec ne.

Canones de Perspicacitate sunt hi.

1 *Perspicacitas magnam habet cognationem cum ipsa prudentia, ita vt naturalis quædam prudentia dici possit, nec tantum præcedit prudentiam, sed etiam eam comitatur, & iudicat de iis, de quibus prudentia consultauit: vnde & κριτικὴ indicatrix facultas a Philosophis dicitur.*

Aristoteles sub finem capit, 10. indicat discrimen inter συνέσιν, & prudentiam, quod nempe prudentiæ munus sit consultare, & deinde præcipere quid agendum sit; perspicacitatis autem munus sit recte iudicare de iis, de quibus prudentia decernit; & addit, synesin esse δύναμιν κριτικὴν, prudentiam autem esse δύναμιν βουλευτικὴν καὶ ὑποτακτικὴν: Ex quo tamen loco non concluserim, quod nonnulli Ethici faciunt, quasi synesis etiam sit virtus moralis vel intellectualis propriè dicta; vtpote cum Aristoteles ei opponat sub initiũ c. 10. stoliditatem & hebetudinem ingenii, quæ cum sit naturalis, necesse quoque, eius oppositum, nempe Synesin, esse naturale. Et deinde in sequentibus statim dicit, quosdam homines esse συνετοὺς, quosdam autem esse stupidos & fatuos, quod de naturalibus sane intelligendum est. Accedit & hoc, quod cap. 12. δεινότητα, solertiam, quam Ethici non minus ac perspicacitatem prudentiæ comitem faciunt, diserte appellet φυσικὴν δύναμιν *naturalem facultatem.*

2 *Ad perspicacitatem referri potest etiam* ἀγχίνοια, *i. naturalis quædam facultas indagandi causam eius effectus, quem ante nos videmus: item facultas ex causis remotioribus prospiciendi futuros effectus atque euentus, item* ἄκρα φυσικὴ *i. naturalis quædam dexteritas videndi, quid melius, quid deterius sit.*

Altera causa efficiens prudentiæ, est Δεινότης Solertia, *vt quidem Latinè vertitur, quæ est naturalis vis ac dexteritas inueniendi & procurandi idonea media, pertinentia ad assequendum finem eius actionis, quam suscepisti.*

De hac sunt Canones.

1 *Sicut perspicacitas erat vis quædam ingenii & iudicii, ita solertia est vis quædam magis pertinens ad voluntatem, siue potius ad voluntatis, & propositi idoneam executionem.*

Tractat de solertia Aristoteles cap. 13. lib. 6. vbi postquam definiuisset solertiam, distinguit eãdem in bonam & malam; ac bonam quidem solertiam dicit esse eam, quæ bona media ad finem assequendum excogitat, & procurat, malam autem quæ mala media excogitat & per ea conatur suum scopum obtinere: & hanc dicit vocari πανουργίαν, *naturalem versutiam* ac *veteratoriam calliditatem.* In sequente deinde Aristoteles comparat inter se solertiam & prudentiam: & 1. dicit quod magnam habet solertia cum prudentia affinitatem, adeo vt accedente vsu rerum & virtutibus moralibus, facilè possit mutari in prudentiam, imo sine ea possit nullo modo prudentia perfectè comparari. Discrimen autem ait esse 1. in causa effic. quia solertia est à natura, ἀρετὴν φυσικὴν, prudentia autem non est à natura, sed acquiritur experientia & vsu. Alterum discrimen dicit esse, quod solertia etiam tribuatur malis actionibus: prudentia autem nullo modo possit tribui malis. Et addit sub finem cap. præclarum Axiom. ἀδύνατον φρόνιμον εἶναι μὴ ὄντα ἀγαθόν. Mouet

au-

autem ſtatim in ſequ. ex propriis ſuis verbis obiectionem, cum libr. 2. dictum ſit, nullam virtutem eſſe naturalem: quomodo hîc dicitur ſolertiam eſſe virtutem naturalem. Reſpond. pro ſe ipſo Ariſt. quod vocabulum ἀρετῆς, interdum ſumatur κυρίως, propriè, interdum μὴ κυρίως, & hoc poſteriori modo, ſumi virtutē, quando ſolertia appellatur virtus: ſiquidē virtus nihil aliud hîc ſignificat, quā naturalē inclinationē et propenſionem ad aliquam virtutem, quas φυσικὰς ἀρετὰς Cic. elegāter vocat principia, ſemina, igniculos & fontes virtutū. Addit autem ibidem pulchram doctrinam de diſcrimine inter naturales & veras virtutes: Et primum diſcrimen ponit, quod veræ virtutes tantum habeant locum in viris bonis, & præceptis atque vſu exercitatis: naturales autem virtutes etiam inſint pueris, imo quadam ſimilitudine etiam beſtiis. Alterum diſcrimen, quod veræ virtutes ſemper proſint non tantum habentibus, ſed etiam iis erga quos exercentur; naturales autem virtutes ſæpe ſunt noxiæ tam poſſidenti, quam illi, in quem exercentur: quia nempe facultates naturales ſunt flexibiles, ita vt poſſint applicari ad obiecta & fines bonos vel malos, prout ſc. diuerſis affectib.is ducitur, qui iſtis facultatibus eſt præditus. Tertium diſcrimen ponit in eo, quod naturales virtutes poſſint à ſe inuicem ſeparari, id eſt, vna eſſe ſine alterâ: Veræ autem virtutes non poſſint ſeparari, quandoquidem copulantur vinculo prudentiæ tam arctè, vt qui vnam habet, neceſſario quoque reliquas obtineat, etiāſi actu ipſo non poſſint omnes ſimul exerceri. Quartum diſcrimen in eo conſtituit, quod virtutes naturales non egeant gubernaculo prudentiæ, ſicut virtutes proprié dictæ, idque propterea, quia virtutes naturales non ita definiuntur mediocritate, quæ eſt ſecundum rectā rationem: quæ mediocritas quodammodo eſt ipſa prudentia, vnde Socr. dicere ſolitus eſt, virtutes eſſe φρονήσεις, λόγους καὶ ἐπιστήμας. Cæterum inſigne exemplum perſpicacitatis & ſolertiæ eius, & velut expreſſam imaginem proponit Thucyd. libro. 1. in Themiſtocle, cum ita inquit: *Themiſtocles acie mentis ſuæ non præmonitus nec diu conſiderans, optima conſilia habebat, & de futuris quid euenturum eſſet rectiſſimè coniiciebat, & quæ in præſentia in manu habebat, expedire poterat, & quæ non nouerat, non deſtitit inquirere, in obſcuris autem rebus quid melius, quid deterius eſſet, omniū maximè*

proſpiciebat:

prospiciebat: & vt in summa dicã, naturæ viribus & deliberatione id eligebat, quod maximè profuturũ erat.

Sequitur tertia causa, nempe, μνήμη memoria & recordatio, per quam nempe memores sumus præteritarum rerum & circumstantiarum, easque comparamus cum præsentibus.

Aristoteles in libello De virtutibus memoriam dicit esse causam prudentiæ: & notus est vetus ille versus: *Vsus me genuit, Mater peperit memoria.* Demosthenis sententia digna est notatu: *Vir prudens debet præteritorum meminisse, præsentia agere, & futura cauere.* Et Isocratis; *Cum deliberas, exempla rerũ præteritarum considera: si enim præteritarum rerum memineris, melius de futuris deliberabis:* Vnde consectarium est, sine historiarum studio ac lectione neminem perfectè prudentem esse posse.

Tantum de causis remotioribus: propiores causæ sunt: 1. *præcepta prudentiæ, quæ in Philosophia practica traduntur, simulque speciales regulæ & canones, quos quilibet sibi in suo statu, loco & tempore, quo viuit, consignat: Deinde exercitatio cõtinuata in rebus agendis, quæ dicitur obseruatio & experientia.*

Multum possunt præcepta Philosophiæ practicæ ad comparandam prudentiam: sed quia hæc virtus circa singulares circumstantias locorum, temporum & personarum versatur, atque his sese attemperat, ideo valdè necessarium est, consignasse sibi in ea Rep. in qua victurus es, peculiares vitæ regulas & canones, secundum quos consilia & actiones tuas gubernes. Quod verò ad exercitationem siue experientiam attinet; certum est, sine ea nec hos quos diximus, necessarios canones consignari posse, nec firmum prudentiæ habitum acquiri: Vnde Aristot. 6. Ethic. 8. hanc solã causã acquirendæ prudentiæ monstrat, nempe obseruationem & experientiam singularium, quæ sumenda est ex quotidiana vita & tractatione assidua negotiorum priuatorum & publicorum. Vnde consectarium Aristoteles ibidem addit, quod iuuenes non possint fieri prudentes, nisi disciplinas addiscant Mathematicas, quæ alioqui sunt difficiles, quia inquit, *propter ætatem*

destituuntur

destituuntur vsu & experientia rerum agendarum: quod sic non accipio, q. prudentia omnibus iuuenibus detrahatur, sed plerisque tantum: siquidem in nonnullis est excellentior natura, vt non opus habeant diuturnâ assuefactione, sed vt possit in iis habitus Pr. generari ex firmiori impressione aliquot exercitationum & experientiarum licèt paucarum, vt elucet manifestè in Iosepho, Dauide, Achille, Themistocle, Iulio Cæsare, Scanderbego & aliis. Interim tamen quia ea in Politicis sectari solemus, quæ plerunque fiunt, idcirco rectè fit, quod ad consilia publica potius senes quam iuuenes deligantur, nisi manifesta specimina adsint prudentiæ, qualia fuerunt in Scip. Africano, cui vix primum limen iuuentutis egresso, totus exercitus Romanus fuit commissus.

Tantum etiam de causis principalib. prudentiæ. Sequitur causa minus principalis, quæ vel est adiuuans, vel instrumentalis.

Adiuuans est sapientia, id est, peritia Philosophiæ theoreticæ, quæ et si non principaliter prudentiam ponat, tamen eam potissimum iuuat: propterea quod perfectissimè singularium æstimatio pendeat ex vniuersalium cognitione, quæ traditur in Philosophia theoretica.

Præceptum hoc est Aristotelis, qui sapientiam facit causam adiuuantem prudentiæ lib. 6. Ethic. cap. vlt. vbi inquit: *Prudentiam quidem prodesse sapientiæ, propterea quod præcipiat in Rebub. ea fieri, quæ faciunt ad sapientiæ promotionem & commendationem*, vel, vt ciues sapientiam ament, eiusque studia excolant, ac sapientibus hominibus honestum in Republica locum concedant: quod quidem inquit, non tam est dominari sapientiæ, quàm seruire: Interim tamen sapientiam magna adminicula præstare prudentiæ, quia nempe præcepta Prudentiæ habent sua principia, fundamenta & fontes in præceptis Sapientiæ, exempli gratia, in doctrina de anima rationali, in doctrina de voluntate & affectibus hominis, & in aliis pluribus: nec etiam potest quisquam prudens esse, nisi possit discernere circumstantias

varias personarum, locorum & temporum: Istæ autem circumstantiæ ex fundamentis Philosophiæ theoreticæ distinctionem suam accipiunt. Exempli gratia: Vir prudens debet discernere inter personam iudicis & senis, viri & mulieris; at ista discretio pendet ex temperamento corporum, de quo temperamento tractat Physicus: idcirco Aristoteles in 2. Rhetoricorum selectissimos canones ad circumstantias personarum diiudicandas non aliunde magis depromit, quam ex Physicis. Et hoc est quod cap. 12. lib. 6. Arist. docet magnam esse sapientiæ vtilitatem ad doctrinam de felicitate hominis solidè intelligendam, & quia sapientia est nobilissima virtus animæ rationalis, ideoque eius operatio quoque præstantiss. & quia operationes voluntatis pendent ab operationib. intellectus, sic enim volumus prout cognoscimus. Vt taceam hoc loco, quod ex Philosophia theoretica efficacissimæ causæ impellentes petantur ad multarum virtutum exercitia: e.c. ex cognitione accurata corporis sui, & ex notitia temperamenti eius ingentes stimulos ad temperantiam & alias virtutes quilibet capere potest. Nec tamen hoc ita dictũ velim, q. nemo possit esse prudens, nisi simul sit sapiens, sed hoc tantum volo, Prudentiam ex sapientia capere sublimiorem aliquem gradum, ita vt is prudens, qui simul est sapiens, graduum & partiũ perfectione præferendus sit isti prudenti, qui non simul sapientiæ & Philosophiæ theoret. operam nauauit: Itaque absurda est opinio Machiauelli & aliorum, qui statuunt studia Philosophiæ theoreticæ homines reddere ineptos ad prudentiam politicam, vnde illud natũ Neoptolemi apud eundem: *Philosophandum sed paucis.* Si paucis dicit, i. methodicè & sobriè philosophandum esse ei, qui ad Remp. aspirat, equidem facilè concedo, neque enim decet totũ Philosophiæ immergi eum, qui ad Remp. præparandus est. Sed si paucis philosophari idẽ sit, ac totã philosophiã theoreticã fastidiosè contẽnere, quomodo multi hodie hoc dictũ citãt? tũ sanè cõtradixerit manifesta ratio ex Arist. ante allata. Sicut autẽ non plane necesse est omnẽ prudentem esse sapientem: ita quoque non est necesse omnẽ sapientem esse prudentem; id quod Aristoteles docet 7. c. 6 Ethic. vbi 2. affert differentias inter prudentiã & sapientiam, quarum 1, est à subiecto: Si sapientia & prudentia idem esset, tũ omnis sapiens esset pru-

dens. At multi sapientes fuerunt non vsque adeo prudentes, vt Anaxagoras, Thales, Pittacus & multi alii. Altera differentia est, quod sapientia vnica & simplex: Prudentia autem multiplex & varia sit pro varietate actionum & negotiorum, circa quæ versatur.

Causa instrumentalis est inspectio alienorum exemplorum, & cautio malorum, imitatio bonorũ: quô pertinet peregrinatio vtiliss. prudentiæ instrumentũ, vt pote per quam exempla obseruantur, & multa & varia ad variam nostrum vsum conductura.

De exemplis alienis tanquam summè necessariis ad prudentiam cõparandam, digna laude & memoria est sententia Demosth. ἄνθρωποι τοῖς ἑτέρων παραδείγμασι χρώμενοι μᾶλλον βέλτιον βουλεύονται. *Omnes homines vtentes aliorum exemplis magis cauti fiunt.* Itẽ Illud: *Exempla in vtramq; partem plus valent quã consilia:* Item illud Terentii: *Hoc verò est sapere, in aliorum vitã tamquam in speculum intueri, & ex illis exemplum capere tibi quod ex vsu sit.* Item, *Felix quem faciunt*, &c. Cæterum, de imitatione quantum ea possit tum ad omnem virtutem, tum etiam ad prudentiam comparandam, innuit Aristoteles 12. cap. 6. Ethic. vt & sub finem 7. Politic. Neque est vllum maius adminiculum ad prudentiam acquirendam, quam conuersatio cum prudentibus viris, & ardens studium eos imitandi, eorumque dicta & facta exprimendi. Peregrinatio verò, quia nihil aliud est, quã motus corporis institutus ad obseruationem variorum exemplorum in exteris nationibus: idcirco mirificè quoque ad prudentiam facit, & penè magis facit quam vlla præcepta: vnde Homerus prudentiæ Vlyssææ causam decantaturus, hanc potiss. allegat:

Multorum mores hominum conspexit & vrbes.

Sic de causis prudentiæ: iam distinguenda hæc virtus est in suas partes: neque enim ita simplex habitus est prudentia, sed ex duabus partibus velut compositus: quarũ prior est discretio, delectus & electio, I inter bona & mala: 2: inter ipsa bona, quod nempe alteri sit præferendum, & quodnam sit vtilius, quod

verò minus vtile: Altera verò pars prudentiæ est bonorum electorum accommodatio ad singulares circumstantias loci, temporis & personarum.

Restat vt addamus prudentiæ propria requisita, effecta & opposita, de quib. omnibus sunt hi Canones.

1 *Prudentiæ proprium est leges istas nosse, secundum quas viuendum est: id quod non tantum intelligi debet de legibus naturæ, sed etiam de aliis pertinentib. ad honestatem vitæ & ad decorum externum eorum locorum, in quibus viuimus.*

Quia sua cuique loco instituta sunt & consuetudines, ideo hoc maxime proprium est Prudentiæ, nosse quid cuique loco conueniat, & quid ibi decorum sit vel indecorum, secundum illud: *Si fueris Romæ, Romano viuito more*: quod Poetæ præceptum de decoro intelligendum est: Nam honestum in omnibus locis idem est.

2 *Hinc sequitur alterum munus proprium prudentiæ, vt nempe cum aliqua dubitatio incidit de legibus & institutis, vtrum magis, vtrum vero minus sequendum sit, vt tum leges conferantur inter se & diligenter perpendatur, quæ lex magis, quæ minus sequenda sit: Itaque per prudentiam fit collatio bonorum: ita vt perpendantur gradus, & cõcludatur quarum legum potissima habenda sit ratio. Id quod fit, quando leges sunt impares.*

3 *Impares autem leges sunt vel inferiores, vel superiores.*

4 *Superiores leges dicuntur, quæ à causis superioribus pendẽt, & circa nobiliora obiecta versantur: Inferiores verò quæ ab inferioribus causis pendent, & de inferiorib. rebus sancitæ sunt.*

5 *Harum legum electio instituitur tempore vel libero, vel necessario & non libero.*

6 *Tempore*

6 *Tempore libero superiores leges semper præferuntur inferioribus, & obseruantur hæ regulæ:*

1 *Lex humana cedit diuinæ.*

2 *Communia præferuntur minus communibus.*

3 *Publica præferuntur priuatis.*

4 *Leges, quæ simpliciter de honesto loquuntur, præferuntur vtilitati etiam publicæ.*

7 *Tempore verò necessario siue non libero, cum grauiori aliquo malo affligimur, quod cupimus auertere, sæpe inferiores leges per prudentiam præferuntur superioribus, ita vt non tam præstantiæ legis, quam nostræ necessitatis habeatur ratio.*

Sic nempe externa media cultus diuini tempore libero omnibus reliquis officiis præponere debemus; Tempore autem necessario ea officia, quæ parentibus, cognatis & alijs hominibus præstanda sunt, pro necessitatis & circumstantiarũ ratione præferuntur externis medijs cultus diuini.

8 *Sic ergo prudentia præcipit, vt plus tribuamus ciuibus, quàm exteris; plus parentibus, quam cognatis; plus cognatis quàm ciuibus, plus magistratui publico & patriæ, quã parentibus, quia nempe exteris generali tantũ iure humanitatis & sanguinis deuincimur; parentibus verò maiori adhuc cognatione astringimur, quam cognatis; magistratui verò & patriæ triplici vinculo obligamur, nempe* 1. *humanitatis.* 2, *cognationis; quia resp. continet salutem nostrorum cognatorum. Et denique peculiari fœdere ac iuramento, quod magistratui & patriæ præstitimus tanquam boni ciues.*

9 *Si ergo periclitetur patria & simul parentes, nec possibile sit vtrisque succurrere, prudentia dicta-*

bit prius patriæ quam parentibus succurrendum esse; quia lex patriæ est lex superior & publica.

10 *Si versentur in periculo communi vir grauis & bonus, & item leuis ac malus; prudentia dictitat grauem virum & bonum potius esse eripiendum ex periculo.*

E. g. si venirent in periculum submersionis duo viri, & tu tantum vnum possis extrahere, quæritur vtrum ex submersionis periculo debeas eripere; Respondet prudentia, esse eripiendum eum, quem maximè bonum noris, relinquendum autem esse leuem & malum, idque propterea; quia vir bonus est publicum bonum; quod si verò neutrum noris, iam cessat prudentia, & id tum faciendum est, quod prius in mentem venit; quia prudentia est virtus præsupponens notitiam, & si debeat fieri comparatio & delectus, necesse est prius simplicem notitiam præcessisse. Quod si videamus multos ignotos, & vnum notum, eumque bonum virum esse in periculo, nec possimus simul omnes seruare, prudentia dictat illos multos ignotos potius esse eripiendos, quam istum vnum notum, licet bonum, idq; propterea; quia etiam inter illos ignotos possunt esse aliqui boni viri: Iam autē regula est generalis, *Plura præferenda paucis*. At verò dicat aliquis: Quid si isti ignoti sunt mali viri? Respondeo, regulam esse amoris pertinentem ad societatem humanam, vt potius bene quam malè de ignotis præsumamus, & charitas neminem malum esse iudicat, nisi qui factis & vitâ talem se esse manifestè declararit. Si quis autem quærat, quid faciendum sit, si in vno eodemque periculo constitutum videas infantem aliquem, & virum adultum, vtri potiss. sit succurrendum, siquidem vtrique succurri non possit: ibi quidem natura videtur suadere, succurrendum esse imbecilliori, & ei qui magis auxilio egeat. At si adultus iste tibi notus sit, & simul virtute præditus, ibi quoque multi respondent, infanti potius succurrendum esse, tanquam cui natura magis succurrendum esse suadeat, & de quo spes sit, quod possit fieri æquè bonus atque est adultus ille. Alii verò existimant, virtutis præsentis magis ducendam esse rationem

quam

quam futuræ; sed ego quæstionem reliquerim inter indecisas, & putarim eum maximè esse ex periculo eripiendum, quem videas maximè periclitari; si autem æquè periclitetur vterque, eum esse eripiendum ad quem affectus cordis te prius rapit.

11 *Prudentiæ est officia naturæ debita ab officiis virtuti debitis discernere, & officia naturæ debita præstare iis, quibus per naturam & sanguinem magis obligati sumus: Contrà autem officia virtuti debita præstare iis, quorum virtus maior est, etiam si natura & sanguine nobis iuncti non sunt.*

Quapropter si fratrem germanum habeas virtute non decoratum, & tamen fame pressum, potius subleuare debes huius necessitatem quam viri virtute præditi; quia alere est magis naturale officium; Contra verò ad honores debes magis euehere virum virtute conspicuum quam fratrem germanum virtutis expertem; quia id est officium non tam naturæ quam virtuti debitum; alimonia autem est officium cum natura & sanguine copulatum.

12 *Si magni alicuius boni optio detur, ita vt vel tibi vel patriæ illud eligere possis, prudentia suadet tibi potius quam patriæ eligendum esse; quia se quemque proximè diligere oportet.*

Nam communia præferenda sunt minus communibus, nempe tum si per talem actionem, quam edimus, proprium bonum nos quoque consequamur, siue communia sunt præferenda minus communibus in actionibus quibus nos ipsos maximè perficimus, & sic communibus rebus seruimus, vt simul per tale seruitium nostrum quoque bonum, non vtile dico, sed honestum acquiramus. Sic nempe ipsam vitam etiam pro patria effundere debes, non quod tuum summum bonum patriæ postponas, sed quod ista ipsa profusione tibi ipsi bonum acquiras, & laudatiss. virtutis actionem obeas, & simul quod in patria tu quoque includaris, ita vt patriâ seruatâ, teipsum & tuos serues etiam tum, cum vitam profundis.

13 *In electione simpliciter, honesta nunquam postponenda.*

Quod si ergo tempore necessario siue non libero, optio nobis detur, vt vel pietatem vel honestatem violemus seruandæ vitæ causa, vtique neutrum faciendum.

14 *Perpetua igitur regula sit; inter mala culpæ non permittitur electio, siue inter duo mala culpæ aut peccati, nec maius nec minus est eligendum, sed repudiandum est vtrumq; tam minus quam maius.*

Vt si Tyrannus dicat; vel Deum & Religionem veram abnega, vel proximi tui possessiones inuade & suppili; respondebis, neutrum faciam; quin moriar potius, quia inter duo peccata non datur electio, & minus peccatum, quoad naturam peccati, æquale est maiori peccato, id est, vtrumq; est inhonestum: Inhonesti autem non datur delectus. Huc pertinet mascula illa vox Arist. 3. Eth. c. 3. *Sunt*, inquit, *quædam ad quæ nullus vir bonus se cogi patitur sed extrema quæque subeunda, & mortem potius oppetendam ducit.* Vide in hac quæstione ambigué disputantem Gellium. lib. 1. c. 4.

15 *Inter mala pœnæ commeritæ Prudentia suadet electionem, & dictat eligendam esse mitiorem pœnam.*

Exemplo prudentiss. Regis Dauidis 2. Sam. 24. vbi inter Famem, Bellum & pestem, pœnas optioni propositas, eligit Pestem, tanquam pœnam mitiorem ac magis paternam.

16 *Inter mala pœnæ, quarum optio datur innocenti, nullum est eligendum nisi coacto, ne nos ipsos suspicione oneremus.*

Prudentissimum hoc prudentiæ dictamē admirabilis prudentiæ Princeps CONDÆVS obseruabat, cum ei à Carolo ix. Gal. R. talis optio proponeretur; *Aut missam elige, aut mortem, aut perpetuum carcerem*; Repudiabat statim prius Heros malum culpæ, videlicet missam, dicens: *Missam ego nunquam eligam: duo autē reliqua regis arbitrio relinquo.* Nempe innocenti sibi videbat neutrum ex malis pœnæ eligendum esse, ne seipsum suspicioni admissi sceleris inuolueret.

Quam

Quam hiſtoriam memorabilem ſupra quoque citauimus, ſed ad diuerſum præceptum.

17 *Prudentia eſt difficillima virtutum; quia requirit maximum iudicium, & quidem ſæpe extemporaneum; quia & rerum paruitates & magnitudines, atque iſtas omnes, quas recenſuimus, officiorum eſtimationes, alia nonnunquam momenta extrinſecus, atque aliæ quaſi appendices perſonarum & cauſarum ac neceſſitatũ circumſtantiarumq; ſequuntur, quas præceptis includere difficile eſt, & quas tamen prudentia moderari ac regere debet, ita vt illum delectum officiorum perſonis debitorum ad tempora quoque & loca accommodet.*

18 *Prudentia in omni actione certum ſcopum ponit, & deinde media ad ſcopum ordinat, & denique ad circumſtantias loci, temporis & perſonarum iſta media accommodat.*

19 *Prudentia actionem nullam exequitur, niſi omnibus ante perpenſis, quæ ad actionem iſtam pertinent.*

Debet ergo prudens ſapere ante factum, quam laudem ſibi Itali tribuunt ſuo iſto Prou. *Italus ſapit ante factum, Hiſpanus in facto, Germanus poſt factum.*

20 *Prudentiæ eſt perpendere, quam diu detur tempus ad rei conſiderationem; & ſi detur tempus longiuſculum, lentè agere.*

21 *Prudentiæ eſt nihil agere, niſi id, cuius probabilem cauſam reddere poſſimus.*

Quæ ſunt Cic. verba. 1. Offic.

22 *Prudens ſemper magis metuit, quam ſperat; quia metus acuit diligentiam procurandi media: ſecuritas autẽ & ſpes procliuior minuit diligentiam & curam mediorum ad propoſitum finem ducentium.*

Hoc

Hoc est, quod Salom. dicit Prou. 28. *Bene est illi, qui semper metuit*, nempe ita, vt non quidem semper sit meticulosus, sed vt quærat media ad ambiguum euentum profutura. Et Mimus Publius inquit: *Animus vereri qui scit, scit tuto aggredi.* Et Barlet. li. 9. De vita Scanderb. *Bonum est timere omnia, vt nihil timeamus.*

23 *Prudentia neq; fidit nimis, neq; nimis diffidit.*

24 *Prudentia importat taciturnitatem, quia taciturnitas conseruat & tuetur media ad propositum nostrum finem conducentia.*

25 *Prudentiæ est dissimulare seipsam, & sese non ostentare.*

26 *Prudentiæ est præterita corrigere, præsentia dirigere, & futura prospicere.*

27 *Sunt & alia duo valde illustria prudentiæ effecta,* εὐβουλία & γνώμη, *æquitas in iudicando.*

28 Εὐβουλία, *est soboles prudentiæ, per quam possumus recta & salutaria consilia inuenire tum pro nobis, tum pro alijs.*

Hoc maximè effectu virum prudentem describit Aristot. quòd sit qui bene potest consultare de iis, quæ ipsi vel alijs bona sunt & vtilia, non tantum ex parte, sed ad totam bene viuendi rationem. Et c. 9. εὐβουλίαν, tanquam præcipuum effectum prudentiæ latius diducit, vt ibi videri potest: vbi hoc inprimis notandum est, quod officium prudentiæ sit non tantum aliis, sed inprimis sibi rectè consulere; quoniã qui sibi prudens esse nequit, nequaquam sapit, inquit Cic. ad Trebat.

29 *Alter effectus prudentiæ, est* γνώμη, *id est, viri æqui & boni de dictis & factis aliorum moderatum iudicium: prudens enim non facilè iudicat de alijs, aut si iudicat, moderatè iudicat.*

Vide de eo egregiam doctrinam Aristot. 10. Eth. 2. vnde hunc Can. deprompsimus.

30 *Æquitas iudicij, quam gignit prudentia, consistit in duabus partibus.* 1. *in benigna interpretatione*

eorum, quæ ab aliis fiunt & dicuntur, quæ proprie dicitur συγνωμοσύνη, *deinde in condonatione & venia eorum, quæ ab aliis per ignorantiam aut infirmitatem fuerunt peccata.*

Itaq; sapienter dicit Arist. *Omnes prudentes esse* συγνώμονας καὶ συγγνωμικούς, i. benignè de aliis iudicare & aliorum infirmitatibus facilè ignoscere.

31 *Prudentiæ opponitur primò imprudentia, per quam ignorantur ea, quæ ad homines spectant, & simul nullo iudicio ruitur in res agendas non obseruatis circumstantiis locorum, temporum & personarum.*

32 *In excessu verò opponitur* πανουργία, *nempe versutia vel calliditas, per quam vel ad malum finem mala media, vel ad bonum finem mala media ita ordinantur, vt vitiosa accommodatio ad personas, loca tempora.*

33 *Opponitur etiam prudentiæ in excessu* τὸ παρὰ μέτρον φρονεῖν, *i. quando quis nimium sapit, & vult esse prudens in rebus quæ non sunt obiectum prudentiæ: vel etiam quando quis in rebus paruis & nullius momenti magnam aliquam considerationem suscipit, ita vt inter obiectum & gradum actionis nulla sit proportio.*

34 *Pugnat etiam cum prudentia tanquam soboles imprudentiæ,* 1, *nimia lentitudo & oscitantia in agendo.* 2, *nimia festinantia &* προπέτεια, *temeritas, quo quis nec verum obiectum prudentiæ designat, nec de mediis recte cogitat, nec tantum temporis ad media curanda sumit, quantum debebat.*

De hominibus hoc vitio laborantibus duo pulcherrima dicta notentur, quorum vnum est Thu. l. 2. Ἀμάθεια θράσος, λογισμὸς δ' ὄκνον φέρει. *Inscitia confidentiam, prudentia cunctationẽ adfert.* Alterum dictum est Arist. 6. Eth. c. 9. *Qui ad pauca re-*

respicit, citò iudicat. Atq; hæc quidem est doctrina de virtutum regina prudentia, vbi pro conclusione notetur quod Arist. 6. Eth. c. 8. prudentiam distinguit in priuatam & publicam. Prudentia priuata est, quæ tractatur in Ethicis. Publica & magis communior est vel OEconomica vel Politica; & hæc iterum vel Nomothetica & Dicastica siue Practica; de quibus 2. Prudentiæ speciebus, nempe OEconomica & politica, non est Ethici tractare.

CAPVT. IIII.

De iustitia vniuersali siue directrice.

VIdemus primam virtutum omnium reginam, siue primam virtutem vniuersalem nempe Prudentiam: *Accedamus ad intuendam alteram virtutem, virtutum omnium reginam, nempe* Iustitiam vniuersalem.

Parum enim foret, nosse delectum bonorum, & posse accommodare actiones suas ad loci, temporis & personarum circumstantias, nisi te agnoscas obligatum esse ad virtutis munia præstanda, siue ad obedientiam omnium legum, & nisi firmum habeas propositum omnibus legibus obediendi & suum cuique tribuendi, id quod est iustitiæ; de cuius laudibus velle prolixè disserere oratoris potius foret, quam Ethici. Aristoteles 5. Ethic. cap. 1. omne eius encomium cõplexus, dicit esse κρατίστην τῶν ἀρετῶν, *omnium virtutum optimam & perfectissimam*: & addit ex ore præceptoris sui Platonis, quod nec Hesp. nec Lucifer ita sit admirabilis, vt est iustitia, ἐθ' ἑσπέρ@ ἐθ' ἑῴ@ ἔτω θαυμαστός. Cic. 3. Offic. *Iustitia*, inquit, *est virtus excellentissima & splendidissima, omnium virtutum regina ac domina.* Acutiss. Scalig. Exerc. 307. sect. 3. *Iustitia*, inquit, *est virtus excellentissima & splendidissima, omnium virtutum regina ac domina.* Acutiss. Scalig. Exerc. 307. sect. 3 *Iustitia*, inquit, *est conseruatrix coniunctionis humanæ, quæ coniunctio ad beatitudinem magna via est.* Cæterùm vocabulum iustitiæ ab obiecto huius virtutis, nempe à iure originem traxisse magis est consentaneum propterea, quod ius sua natura

turâ prius sit virtute, cum omne obiectum naturâ suâ sit prius habitu. Sumitur autem vox iustitiæ interdum latissimè, interdum verò strictius: Latiss. sumitur præsertim in S. literis. vbi iustitia significat immunitatem ab omni peccato tam originis quã actus, atque adeo pro bonitate, proque omni virtute in genere & in specie, diciturque aliàs imago & similitudo Dei in homine, per quã homo & potest facere & facit ea õnia, ad quæ obligatus est, Deo, Angelis, sibi, & aliis hominibus. Sed hîc iustitiam non ita latè sumimus pro omnibus virtutibus, nempe tam vniuersalibus quam particularibus, tam gubernantibus quam gubernatis, sed strictius vsurpamus vocabulum iustitiæ, tanquam pro virtute vniuersali & directrice, non autem virtutibus particularibus & directis, ita vt iustitia nobis non sit ipsa Temperantia, ipsa Fortitudo, Liberalitas, Mansuetudo, sed quiddam re ipsa ab his distinctum; sicut gubernaculũ non est ipsa nauis, sed quid gubernans nauem. Interim sicut gubernaculum potest dici pars nauis, tanquam quod non tãtum nauim regit, sed se ipsum etiam in & cum naui; sic iustitia & prudentia vniuersalis ita regunt virtutes alias, vt arctiss. cum iis copulentur, nec separari possint, sed se ipsas etiam regant. Vocatur autem vniuersalis iustitia, duplici respectu: 1. quidem omnium virtutum particularium quarum est gubernaculum, gubernaculum, inquam, non vero genus, quod sub se virtutes tanquam species suas contineat. Deinde vocatur etiam vniuersalis iustitia, respectu duarum virtutum nomine proprio carentium, & idcirco nomen hoc habentium, quod sint iustitiæ particulares, nempe respectu virtutis commutatiuæ & distributiuæ, quarum etiam genus non est iustitia vniuersalis, vt multi existimant iustitiã diuidi in 2. species, nempe commutatiuam & distributiuam: cum tamen certum sit, iustitiam vniuersalem, quæ sic dicitur, non posse prædicari de iustitia commutatiua & distributiua, quasi nempe iustitia commutatiua & distributiua sit ipsa vniuersalis iustitia, sicut homo est animal; sed vniuersalis iustitia dicitur quia regit & gubernat singulari quadam ratione commutatiuam & distributiuam virtutem: quod propterea annoto, ne quis miretur me doctrinã iustitiæ vniuersalis seiungere à iustitiis vulgo dictis particularibus, & de ea hoc loco ante omnes virtutes particulares tractare.

Iustitia vniuersalis est virtus dirigens voluntatem & appetitum hominis ad obedientiam omnium legum, pertinentium ad humanæ societatis conseruationem; atque adeo virtutum omnium habitus & actiones gubernans secundum præscriptum istarum legum, vt homo agnoscat se obligatum esse ad seruandas illas leges, & ad suum sibi aliisque tribuendum.

Aristoteles in 5. Ethic. vbi huius materiæ sedem posuit c. 1. vt & 4. ad Eudem. cap. 3. tales definitiones iustitiæ tradit; *Iustitia est habitus, quo homines efficiuntur idonei ad res iustas agendas & vt iusta velint, proponant, atq; exequantur.* Item, *Iustitia est virtus per quam præstamus obedientiam legibus.* Alii etiam rectè sic definiunt, quod *Iustitia sit virtus vniuersalis, cuius beneficio omnibus legibus obedientiam præstamus, vt ex earum præscripto reliquas omnes virtutes colamus.* Et sic Iustitia etiam dici potest innocētia & probitas, & homo iustus, innocens ac probus potest appellari : quod moneo propter eos, qui in Ethicis de Innocentia & Probitate tractant, cū tamen istæ appellationes ad reliquas virtutes rectè referri possint & debeāt.

Partes iustitiæ duæ sunt. 1, *Obedientia erga leges omnes, quâ nempe agnoscis te obligatum esse ad leges seruandas, & simul proposítum habes legibus conformiter viuendi; Altera pars est, vt scias quid & quantum cuique sit tribuendum.*

Obiectum Iustitiæ est Ius: Ius autem est canon & præceptum siue regula Practica regens voluntatem & appetitum hominis & simul habens vim obligandi ad obedientiam sibi debitam.

Canones generales de Iure sunt hi.

1 *Ius est & obiectum iustitiæ, & eius causa ac effectum.*

2 *Obiectum est, quia iustitia occupatur circa agnitionem & executionem eiusmodi canonum siue re-*

gu-

gularum practicarum: Causa est, quia efficit in homine iustitiæ habitum, & regit simul iustitiæ habitum, atque actiones ex habitu isto fluentes: Denique effectum est, quia per iustitiam viri sapientes & iusti leges tulerunt.

Lex autem & Ius idem est, nisi quod ius interdum accipiatur pro legum serie, systemate & executione.

3 *Quia habitus sibi ipsi nequit esse obiectum & causa & effectus, imo quia homo sibi ipsi norma esse non potest: ideo iure & legibus opus fuit, si vllus perfectus iustitiæ habitus esse debuit.*

4 *Ius & Leges habent vim agendi partim propter autoritatem eorum, qui leges sanciuerunt: partim propter præmia, quæ pollicentur innocentibus, & pœnas, quas minantur præuaricatoribus.*

Pulcherrimum caput de Legibus est 9. in 10. Ethic. vnde hunc canonem verbotenus deprompsimus.

Ius est vel naturale, vel positiuum.

Ius naturale est, quod homo nouit & exequi potest sine peculiaribus aliorum præceptis & decretis.

Estque iterum vel primarium, vel secundarium.

Primarium est, ad quod cognoscendum & exequendum homo primariò & à prima infantia insito impetu fertur: vt est ista lex: Defende te ipsum.

Aristoteles 5. Ethic. c. 6. omne ius diuidit in absolutum & simplex, quod etiam appellat *Ius politicum*: & deinde in ius secundum quid, quod etiam vocat *ius secundum similitudinem*, item *ius domesticum* siue *œconomicum & priuatum*. Ius simplex, siue politicum & ciuile dicit esse id, quod est inter homines in genere consideratos, atque æquali vitæ societate constitutos. Et hoc ius diuidit iterum in φυσικὸν, & νομικὸν naturale & legale, siue, vt alii vertunt, legitimum, c. 7. Quæ

Arist. diuisiones quomodo conciliari possint cum diuisionibus Iurisconsultorum, facilè, vt spero, patebit per sequentia præcepta. Illud summum est ad intelligendam conciliationem, quod Arist. nomine iuris politici siue ciuilis generalissimè vtatur pro omni iure publico tam naturali quam positiuo: Iurisconsulti autem Ius ciuile vsurpent non pro omni Iure publ. sed tantum pro publico positiuo, quod naturali contradistinguitur.

Canones de Iure naturali primario sunt hi.

Ius naturale primarium non differt à principiis practicis, ad quæ credenda & exequenda homo per impetum naturæ rapitur.

2 *Ius naturale, quia est regula ratione & voluntate concipienda, proprie inest in solo homine, per similitudinem autem etiam in bestiis: & iterum per minorem quandam similitudinem in omnibus rebus naturalibus.*

Canon hic ponitur ad explicandam definitionem iuris naturalis, quæ est 1. lib. Inst. Tit. 2. vbi inquit: *ius naturale est, quod natura omnia animantia docuit*, vt est appetere conseruationem sui: Item generare sibi simile: Defendere seipsum, &c. Nam etsi hæ regulæ à solo homine cognoscuntur, tamẽ effectus per similitudinem quandam inest omnibus animalibus, imo omnibus rebus naturalibus. Arist. autem soli homini tribuit, nempe propriè & primariò, quia solus homo est rationum & conclusionum & regularum capax: vnde & ius naturale complexus est Arist. sub iure ciuili, quia homo per naturam est animal πολιτικὸν siue propensum ad sociale illud ius, quod Aristoteles *politicum* vocat.

3 *Ius naturæ propinquam a Deo originem trahit, vnde & θεῖον δίκαιον ab Aristotele vocatur.*

Cic. 3, de Legib. *vnus est*, inquit, *quasi magister & imp. Deus, legis naturæ inuentor, lator & disceptator.*

4 *Ius naturæ suam vim magis exerit in hominum voluntate & affectu cogendo, quam vllum aliud ius.*

5 *Ius*

5 *Ius naturæ est immutabile, nempe si spectes eius vim & efficaciam, non verò accommodationẽ ad circumstantias certas.*

Vtrumque dicit Aristoteles, *Ius naturæ esse immutabile, & esse etiam mutabile.* Est nempe immutabile, quia abrogari non potest, & quia vim suam amittere non potest in obligandis & cogendis hominum voluntatibus: sed mutabile dicitur, quasi variabile & accommodabiie ad certas circumstantias,

Secundarium ius naturale est, quod omnes gentes acceperunt, tanquam fluens ex iure naturali primario, vnde & ius gentium *dicitur, vt est illa lex:* Legati non sunt violandi: Naufragorum bona non sunt prædæ exponenda.

Ipse etiam Iurisconsultus loco citato ius gentium ad ius naturæ reducit, & Cic. 3. Offic. Ius naturæ & ius gentium pro eodem sumit.

Ius positiuum est, quod præceptis & decretis hominum traditur, & quod ita ex nobis ipsis non noscimus.

Estque iterum vel generale vel speciale.

Generale Ius est vel Politicum, vel OEconomicum.

Politicum est, quod pertinet ad publicam Reipublicæ curam & administrationem.

Ante diximus, quomodo Aristoteles appellet Ius politicum siue ciuile, nempe generaliter, ita vt sub eo etiam complectatur Ius naturale: nos autem cum Iurisconsultis Ius politicum siue ciuile id appellamus, quod publicis legibus in Rep. sancitum est. Arist. aliquot proprietates Iuris legitimi enumerat, i. eius quod nos politicũ dicimus, quarũ 1. est c. 7. quod illud ius ab hominibus suam originẽ & autoritatem habeat, qui nempe illud cõmuni consensu sanxerint, adducta probabili ratione hausta vel ex iure naturali, vel etiã ex aliqua

circumstantia. Altera proprietas est, quod tale ius autoritatem & vim suam habeat eo solum tempore, cum publicè sancitum & promulgatum est: ante illud vero tempus sit ἀδιάφορον, & possit seruari vel non seruari. 3. proprietas est, quod hoc ius sit mutabile, & possit abrogari. 4. proprietas est, quod hoc ius plerisque partibus referatur ad vtilitatem, & sit accommodatum diuersis formis Rerump. quia aliud est vtile in regno, aliud in Democratia, aliud in Aristocratia: oportet autem iura & leges accommodas esse formis Rerumpub. inquit Philosophus 4. Politicor. 1.

Ius positiuum speciale siue œconomicum est, quod continet præcepta & regulas siue leges de officio œconomica.

Huius Canon est: *Quia ius œconomicum non est inter homines consideratos Ethicè, atque adeo generaliter in societate hominum æquali: ideo per similitudinem quandam & non simpliciter ab Aristotele ius appellatur.*

Quia nempe Ius œconomicum inter eos potissimè viget, qui sibi peculiaribus vinculis astricti sunt, vt alter alterum non ita facilè lædere possit: ideo vocat Aristoteles ius secundum similitudinem, non quasi ius non sit, sed quod cum ciuili iure non simpliciter conueniat, sed tantum ei simile sit. Vide caput. 7. libri quinti sub finem. Cæterum Ius œconomicum subdiuidit Aristoteles ibidem in πατρικόν, quod est inter parentes & liberos, δεσποτικόν, quod est inter dominum & seruum, & denique γαμικόν, quod est inter maritum & vxorem, quæ distinctio œconomici iuris in œconomica disciplina clarius intelligetur,

Ius positiuum est vel absolutè consideratum, vel moderatione circumstantiarum restrictum:

Absolutè consideratũ dicitur ἁπλῶς δίκαιον *i. strictũ ius, quod sine circumstantiarũ, i. loci, temporis & personarum accõmodatione & restrictione aliquid sancit.*

Ius vero moderatione circumstantiarum restrictũ dicitur

dicitur ἐπιείκεια, *æquitas, quâ nempe vir prudens & iustus generalissimas regulas & leges positivas accommodat ad personam, locum & tempus, próque ista commodatione pœnas moderatur.*

Canones de Æquitate sunt hi:

1 *Æquitas non est contraria iustitiæ, sed potius est prudentia cum iustitia coniuncta.*

2 *Æquitas non est circa ius naturale, sed tantum positiuum.*

Hunc canonem tradit Aristoteles c. 10. libr. 5. vbi etiã definit ἐπιείκειαν, quod sit ἐπανόρθωμα τῦ νομίμε δικαίε, quod sit correctio iuris legitimi seu positiui; ex ea nempe parte, quâ lex deficit propter suam generalitatem, siue quâ lex non accommodat sese ad diuersas circumstantias. Iurisconsulti dicunt; *Æquitas est iuris moderatio & benigna interpretatio.* Et notandus est eorundem Iurisconsultorum canon, conueniens cum Aristotelico: Contra ius naturæ & contra ius diuinum non concedendæ sunt laxationes.

3 *Æquitati opponitur.* 1. *nimius rigor, peccans nempe in excessu, & non recte accommodans generales leges ad singulares circumstantias.*

De quo dictum est, quod summum ius (id est, ius carens prudentiâ accommodante vniuersales regulas ad particulares circumstantias) sit summa iniuria.

4 *Deinde opponitur æquitati sycophantia, id est, callida & maligna stricti iuris interpretatio.*

Aristoteles sub fin. cap. 10.

Hactenus de obiecto Iustitiæ: sequuntur eius propriæ affectiones & effecta, de quibus sunt hi Canones.

1 *Sicut prudentia primariò spectabat ipsum prudentem, secundario vero alios, quibus prudens consilia dat: Ita iustitia magis spectat alium, quam eum qui iustitia præditus est: itaque iustitia rectè dici-*

tur ἀλλότριον ἀγαθόν.

Præclarus hic est canon Aristotelis de natura iustitiæ ad alium relatæ 5. Ethicorum cap. 3. & cap. 12. Quô pertinet definitio Iustinian. libr. 1. Institut. Tit. 1. *Iustitia est perpetua & constans voluntas ius suum cuique tribuendi.* Et Cicero. illud ex 2. de Republica, *Iustitia foras spectat.*

2 *Iustitia est perfectissima virtus: quia voluntatẽ hominis deducit ab obedientiam omniũ legum.*

Etiam hæc proprietas traditur ab Aristotele capite primo libri quinti, vbi addit, quod iustitia sit ὅλη ἀρετὴ, *vniuersa virtus*, nempe gubernatione & directione, vt supra exposuimus: sicut contrà iniustitia est ὅλη κακία, *vniuersa malitia & improbitas.*

3 *Iustitia est virtutum pulcherrima.*

Aristoteles ibidem *Iustitiam* vocat ἀρετὴν καλλίστην. Comparat cum stella Veneris.

4 *Iustitia præ omnibus aliis virtutibus, est accommodata ad politicam societatem & conseruandas Respublicas.*

Aristoteles ibidem dicit Iustitiam esse commune bonum, quod se diffundit in omnes. Et 3. Politicorum cap. 8. vocat ἀρετὴν κοινωνικὴν. & cap. 6. lib. 5. huius, inquit: *vir iustus non tam sibi quàm aliis laborat.*

5 *Iustitia est virtus admodum difficilis.*

Hanc propretatem iustitiæ tribuit libro quinto Ethicorum capite nono, vbi dicit valdè eos errare, qui putant non esse difficile scire quid iustum & iniustum sit: quandoquidem etsi leges generalia habeant iustitiæ præcepta, tamen non habeant accommodationem ad speciales circumstantias, in qua præcipua vis iustitiæ posita est.

Tantum etiam de propriis affectionibus & effectis iustitiæ: Restat oppositum eius, quod est iniustitia vniuersalis, *quæ est vitium, quo non præstatur obedientia legibus, atq; adeo turbatur humana societas.*

Effectũ iustitiæ erat ius, ita vt simul esset eius obiectũ, ita obiectũ & effectũ iniustitiæ est iniuria: de qua

has

hos canones tradimus:

1 *Non omne damnum quod alteri infertur, nec omne id, quo alter læditur, est iniuria statim.*

Ita Aristoteles sapienter distinguit 5. Ethicorum cap. 8.

2 *Damnum enim quod alteri infertur, est triplex.* 1. *est* ἀτύχημα, *casus & infortunium, sine omni culpa tam lata, quam leui, vt cum quis ligna secans eum quem à tergo stare vel ire nescit, securi ferit; vel est* ἁμάρτημα, *quando quis alterum lædit non quidem* παραλόγως, *id est, præter omnem notitiam & opinionẽ suam, sed tamen* ἄνευ κακίας *id est, sine culpa lata; vt cum quis incautè tractans sclopetum vel bombardam, eum, quem sibi astare videt & nouit, lædit: vel denique est* ἀδίκημα, *id est,* iniuria, *cum quis & sciens & volens alterum lædit.*

3 *Quando quis alterum lædit ex magna animi perturbatione, nempe ex ira vehementi aut alio aliquo affectu, est quidem iniustum hoc factum & iniuria, verùm actualis, non habitualis; quia non proficiscitur hæc iniuria ex habitu iniustitiæ, neque ex firmo proposito, sed ex quadam subitanea in animum impressione: vnde concluditur, iniuriam propriiss. dictam esse eam, quando quis alium lædit, & quidem valde inuitum, & lædit de industria & meditatò, ac firmiter proposito consilio.*

Exempli gratia, quando non in vehementi ira, nec etiam ex ebrietate, sed extra omnem affectum, aut saltem diu post talem affectum, constanti proposito bonam alterius existimationem quis lædit, & famam proscindit, is propriiss. iniuriam alteri facere dicitur. Quod Aristoteles in eodem cap. ita determinat.

4 *Facere iniuriam est voluntarium quid & destinatum: Ergo pati iniuriam propriissimè dictam,*

est quiddam inuoluntarium, nec poterit fieri iniuria propriſſimè dicta volenti.

Ariſtoteles cap. 9. grauem & ſubtilem habet diſputationem; *An aliquis volens poſſit pati iniuriam*; ſiue, *an volenti poßit fieri iniuria*: & probat aliquot argumentis partem negatiuam, nempe quod volenti non poſſit fieri iniuria. Quæ tamen ſententia cautè eſt accipienda, ſicut ſeqq. canones explicabunt.

5 *Iniuria autem conſideratur dupliciter. 1, quidem reſpectu voluntatis rectè compoſitæ, quæ proficiſcitur ex notitia diſtincta, & quæ id vult ſibiipſi quod leges volunt, ſeu, quod bonum eſt: Talis voluntas vt non vult ſibiipſi maiũ, ita etiam non vult ſibiipſi iniuriam, & per conſequens, rectè volenti non poteſt fieri iniuria, quia nemo rectè volens vult iniuriam.*

6 *Volenti autem per voluntatem aberrantem, atque ex quadam mentis vel ignorantia, vel nimia perturbatione aliquid volenti, poteſt fieri iniuria, ſi non propriſſimè, ſaltem aliqua ratione dicta.*

Sicut aliquis ex errore mentis, vel etiam ex ignorantia & nimia perturbatione poteſt ſeipſum lædere & ſibi nocere; ita quoque poteſt iniuriam volens pati; vt, ſi quis infanti cupienti porrigat cultrum, quo ſe lædat, aut, homini furioſo, is ſanè iniuriam homini infanti & furioſo facit vtcunque id cupientibus. Ita ſi quis hominem deſperabundum vel cupientem interficiat, facturus eſt ei iniuriam. Sic armiger Saulis iniuriam feciſſet homini deſperabundo, ſi ipſum id poſtulantem trucidaſſet.

7 *Etiam tum volenti, fit iniuria, ſi volens alio fine & modo velit, quàm ei læſio infertur.*

Sic Martyribus facta eſt iniuria, etiamſi promptiſſima voluntate mortem appetierint; quia appetebant illi mortem pro gloria Dei & teſtimonio veritatis, quo fine Tyranni Martyribus has pœnas non inflixerunt. Iuriſconſulti hanc grauem quæſtionem ſic determinant, & inquiunt; Cum iniuria

iuria sola, non autem alia genera damnorum, quæ recensuimus, in iudicium protrahantur, discernendum est diligenter, quando volenti iniuria fieri possit. Nam si volenti & consentienti alapa inflicta sit, non potest actionem instituere contra infligentem: quia voluit alapam, & sic iniuriam non est passus. In maioribus autem damnis etiam volenti iniuria fieri potest; vt si quis alteri volenti detruncet manum, vtique merito iniuriarum accusatur. Atqui, inquies, ille hoc voluit; Resp. non voluit ita vt debebat velle, neque erat dominus suorum membrorum, vt posset de ijs, pro suo arbitrio dispensare, sicuti quis de alapa potest dispensare. Atque ita iam etiam solui poterit altera grauis quæstio; *An quis sibiipsi possit iniuriam inferre.* Aristoteles simpliciter negat, c. 11. & dicit eum qui sibijpsi violentas manus infert, non esse erga seipsum iniustum, sed potius erga Remp. quam spoliat suo membro & ciue, cuius auxilio potuisset necessariis temporibus vti. Itaq; dicit, Resp. merito tales punit, quãdo eos sepulturâ priuat aut aliâ infamiâ notat. Verum si iniuriæ vocabulum non ita strictiss. capiamus, certum est etiam sibiipsi iniuriam aliquem facere posse; nec adeo malè Plato 4. De repub. dicit: *Neminem posse alteri iniuriam facere, nisi prius erga seipsum sit iniustus.* Quam præclaram sententiam Arist. ibidem excutit. Dicimus ergo plenâ voluntate neminem sibiipsi iniuriam facere, voluntate autem perturbatâ & malè affectâ, facere sibi iniuriam eum, qui sibi malè vult. Quô pertinet distinctio iustitiæ Platonica in eodem 4. De repub. in internam & externam, siue qua quis sibiipsi iusta tribuit & qua quis alteri tribuit.

8 *Melius est pati quàm facere iniuriam.*

Hanc sententiam Christianam quoque pietatem sapientem Aristot. grauibus rationibus probat sub finem præstantiss. li. 5. Eth. Nos hîc librum 1. Eth. system. nempe de fine Ethicæ & obiecto, atque adeo etiam de virtute in genere, deque virtutibus dirigentibus, iustitia nempe & prudentia concludimus.

Finis libri. I. Systematis Ethici.

SYSTE-

SYSTEMATIS ETHICI

Liber Secundus.

De virtutibus moralibus particularibus.

CAPVT. I.

De Temperantia.

VIdimus virtutes vniuersales & dirigentes; Sequitur, vt doceamus de virtutibus particularibus, quæ per prudentiam & iustitiam reguntur.

Pertinet autem virtus particularis vel ad nos ipsos tantum, vel ad alios homines; vel denique partim ad nos ipsos, partim ad alios.

Variè admodum diuiduntur virtutes particulares, ita vt tot sint diuisiones, quot propè autores, qui de virtutibus scripserunt; ex qua varietate & incertitudine diuisionis, duo magna incommoda in Ethicis orta sunt, quorum prius est multiplicatio virtutum, quâ nempe virtutum numerus penè in infinitum excreuit, quemadmodum Francis. Picolom. postquam diu disputasset de virtutum particularium diuisione, tandē concludit innumeras posse virtutes constitui. Quod si ita est, iam de virtute non poterit ordine ac methodicè tractari: quod enim est infinitum atque innumerabile, id in ordinem redigi non potest, cum ordo sit primorū, mediorū & vltimorū conueniēs dispositio; absurdum autē fuerit asserere disciplinā Eth. carere ordine, cū ordo sit ipsa forma & anima disciplinæ. Itaque alterum incommodum, quod ex ista partitionum varietate oritur, est confusio in particularibus virtutibus tradendis, quæ quidem confusio apud multos animaduertitur. Cæterum Arist. de virtutibus particularibus tractat li 3. & 4. Eth. & in 3. quidem tractat de fortitudine & temperantia: in 4. autem de octo aliis virtutibus nempe

de

de liberalitate, magnificentia, magnanimitate, modestia, mansuetudine, veracitate, comitate, & denique vrbanitate. Nos virtutum moralium partitionem sumemus ex obiecto, circa quod nempe pe ficiendum & iuuandum eæ versantur. Et in genere quidem omnis virtus pendet ex obligatione, quâ homo obstringitur Deo, Angelis, sibiipsi & aliis hominibus. Sed Ethica eas virtutes considerat tantum, quas homo debet tum sibiipsi tum aliis, vt ex contextu & serie virtutum apparebit.

Virtus pertinens ad nosmetipsos, perficit vel cupiditatem vel affectum.

Virtus perficiens cupiditatem dicitur temperantia, quæ nempe est virtus moralis particularis, per quam moderamur σωφροσύνην, *siue cupiditatem nutricem & generatricem.*

Temperantiæ vox Lat. autoribus interdum generalissimè accipitur, pro omnibus virtutibus moralibus, quomodo Cic. 5. De fin. inquit: *Tem perantia est moderatrix omnium commotionum:* Sed hîc accipitur strictius, pro virtute moderatrice cupiditatis, quæ, vt ex Physicis & iis quæ supra tradita sunt, constat, diuiditur in cupiditatem nutrimenti & Veneris. Græcis dicitur q. σώζεσθαι τὴν φρόνησιν, vt pulchrè Arist. 6. Eth. c. 5. docet. Definit autem Aristot. lib. 3. Eth. c. 10. Temperantiam, quod sit μεσότης περὶ ἡδονὰς ἢ λύπας, *Mediocritas circa voluptates & dolores*; id est, quod sit virtus quæ mediocritatem seruat in expetendis & fruendis voluptatibus, & perferenda ea molestia, quam ex priuatione & imminutione voluptatum percipimus.

Obiectum temperantiæ est vel primum, vel ortum.

Primum est cupiditas nutrimenti & Veneris.

Ortum obiectum, est voluptas quæ percipitur ex largiori vsu nutrimenti & Veneris, & molestia, quæ percipitur ex imminutione, & detractione superflui nutrimenti & Veneris.

De hoc obiecto Aristot. ibidem tractat, vbi inquit: *Obiectum temperantiæ esse voluptates corporis, quæ percipiuntur*

ex

ex cibo, potu, & venere. Et Plato 3. De rep. Ἡ σωφροσύνη ἐστὶ ἡδονῶν περὶ ἐδωδὰς καὶ πότους καὶ ἀφροδίσια. *Temperantia est voluptatum cibi, potus & veneris.* Addit autem Aristoteles ibidem rationes 4. quibus probat voluptates nutrimenti & Veneris esse obiectum temperantiæ, inter quas hæc est præcipua; quia, inquit, Temperantia facit, vt homo in cibo, potu & venere discernatur à bestiis; Bestiæ autem has voluptates sectantur & quidem præcipuè.

Quia verò voluptates istæ cibi, potus & veneris, duobus sensibus percipiuntur, nempe gustu & tactu, ideo dicitur temperantia etiam circa gustum & tactum versari, id est, eas voluptates, quæ gustu & tactu percipiuntur.

Vide Aristotelem ibid.

Oppositum temperantiæ in excessu, est ἀκολασία, *intemperantia in nutrimento & Venere, vitium nempe eiusmodi, quo voluptates ex gustu & tactu profluentes contra omnem rectam rationem & honestatem appetuntur, omnisque modestia, quæ ex harum voluptatum detractione oriri possit, effrenatè declinatur.*

De hoc vitio Aristoteles cap. 11. dicti libri, vbi ea, quam iam dedimus, descriptio totidem verbis ponitur. Et sub finem cap. 10. atque adeo lib 3. pulchrè Arist. vocabulum excutit, & dicit dictum esse nomen hoc à verbo κολάζω, quod est *punio*, & *coerceo*, vel *castigo*, q.d. vitium malè educatorum & castigatorum. Et sanè nullum est certius prauæ educationis initium, quam si quis nondū possit cupiditatem cibi, potus, ac Veneris in ordinem rectæ rationis & gyrum honestatis redigere, ita vt meritò Græcis intēperantes vocentur ἀκόλαστοι i. indomiti & legitimæ castigationis & educationis expertes.

Alterum oppositum temperantiæ est ἀναισθησία, *i. stupor quidam, &* velut naturæ immanitas: *vt Cic. vocat, in aspernādis omnibus etiam necessarijs & honestis voluptatibus.*

De hoc vitio Arist. quoque tractat dicto c. 11. lib. 3. & dicit hoc vitium esse penitus alienum à natura, vtpote quæ non tantum

tantum doloris, sed etiam voluptatis sensu est prædita. Et est etiam rarissimum vitiū, ideo nomine certo caret apud Latinos, & apud Græcos nomen habet generalissimum. Cic. de hoc initio docet 4. Tuscul. vbi inquit: *Quemadmodum temperantia sedat appetitiones, ita stupor appetitum extinguit.* Et in orat. pro Cælio: *Si quem fortè inueneritis, qui aspernetur oculis pulchritudinem rerum, qui non odore, non tactu, non sapore capiatur, excludat auribus omnem suauitatem; huic homini ego fortasse & pauci Deos propitios, plerique etiam iratos putabimus.*

Propria requisita & officia temperantiæ, atq; adeo temperantis sunt ista duo, nempe vt moderatè voluptates absentes expetat, & præsentibus moderatè fruatur, atq; adeo vt honestas solum & licitas voluptates appetat. 2, vt illis voluptatibus sic vtatur ac fruatur, ne quid propter eas committat, quod possit vel famam vel valetudinem, vel etiam rem familiarem lædere.

De his propriis requisitis & officiis temperantiæ pulcherrimè Philosophus disserit sub finem c. 10. Sequens c. 12. consumit Philos. penè integrum in comparatione intemperantiæ & timiditatis, & probat duobus argumentis, quod intemperantia sit magis reprehendenda, quam timiditas. 1, quia magis est voluntaria & minus coacta, quam timiditas. 2, quia intemperans facilius potest abstinere à voluptatibus, quam timidus contemnere periculum.

Effecta temperantiæ, partim sunt respectu corporis, partim respectu animi.

Respectu corporis, est sanitas & pulchritudo; nam intemperantia non tantum ægros, sed & deformes facit.

Respectu animi effecta temperantiæ sunt, quod conseruet ac confirmet ingenium, iudicium, ac memoriam, atq; adeo etiam foueat prudentiam, vnde & nomen accepit: Deinde quod hominem reddat alacrem

alacrem & expeditum ad omnes alias virtutes morales, tum acquirendas, tum exercendas.

Temperantiæ species duæ sunt; Frugalitas & Castitas.

Frugalitas est temperantia cibi & potus.

De hoc pulchrè inquit Seneca : *Venter præcepta non audit, poscit & appellat; non tantum molestus est creditor, paruo contentus est, si des illi quod debes, non quod potes.* Item: *Hanc sanam & salubrem formam vitæ teneto, vt corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est.* Et Hippocr. lib. 5. Epidem. sect. 4. *Sanitatis*, inquit, *conseruandæ duo sunt promptiss. media*: 1, ἀκορίᾳ τροφῆς, *ne satieris cibo & potu*, 2, ἀοκνίᾳ πόνων, *non Ignauum esse ad labores.*

Huius species duæ etiam sunt, abstinentia & sobrietas.

Abstinentia est virtus, quæ in cibo capiendo modum tenet naturæ, & rectæ rationi conuenientem.

Ecclesiasticus c. 38. de hac virtute præcipiens inquit: *Noli auidus esse in epulis : in multis enim cibis est infirmitas.* Seneca in epist. *Turpe est sui stomachi non nosse mensuram.* Item, *Copiâ ciborum sublimitas animi impeditur.* Et Plut. *Cibi oner osi multarum ægritudinum causæ sunt.* Cyrus apud Xenoph. *Do*, inquit, *primò operam, vt nunquam nimiùm me expleam, deinde vt in ventrem dimissa bene digeram. Hinc est quod semper valeo.* Vide exempla frugalitatis & abstinentiæ mira in Romanis apud Gel. lib. 2. c. 28. & lib. 4. c 16. apud Athen. lib. 6. c. 8.

Extremum abstinentiæ est voracitas & gulositas quæ in his velut partibus consistit, 1. in nimia cibi quantitate. 2, in nimia edendi festinatione, quod tuburcinari *Latinè antiqui dicebant. 3, in comestione intempestiua: denique 4. cum suauia salubribus præferuntur.*

Alterum extremum est nimia corporis macératio & abstinentia:

Sobrietas

Sobrietas est temperantia, quæ in potu sumendo modum rectum tenet.

De hoc August. *Sobrietas recti iudicii & memoriæ conseruatrix secretorum custos, ingenii magistra, lectionis & doctrinæ nutrix.*

Eius oppositum in excessu est ebrietas.

Apud Germanos magis deploranda quam definienda. De qua Basilius Magnus rogatus quid esset: *Ebrietas*, inquit, *est Dæmon sponte admissus in animum, eumq; obsidens & virtutem omnem inde extirpans.*

Alterum oppositum sobrietatis est nimia abstinentia à potu; quod vitium cum valdè rarum sit, non necesse est, vt de eo pluribus agamus.

Castitas est temperantia, modum seruans in rebus venereis; eum nempe, quem Deus, legesque præscribunt extra & intra coniugium.

Huius virtutis proprium est, quod inprimis ornet hominem, atq; adeo quod reliquarum virtutum veluti corona quædam sit & palma.

Eius effectum est pudicitia, quæ est vitatio verborum ac gestuum, ardorem venereum vel significantium vel prouocantium.

Extrema castitatis sunt duo; nempe spurca libido atq; adeo impudicitia, & deinde nimia concessæ Veneris abstinentia.

CAPVT. IIII.

De αὐταρχείας.

EGimus de virtute moderante vires nutrices & generatrices: Sequitur virtus gubernans & moderans affectum.

Sem-

Semper sit in memoria distinctio appetitus, quod nempe is in se contineat. 2. species, nempe ὀπιθυμίαν, cupiditatem cibi & veneris. & 2, θυμὸν, seu πάθος, affectum. Cum ergo præced. cap. actum sit de virtute moderante ὀπιθυμίαν, sequitur, vt agamus de virtutibus moderantibus affectum.

Affectus, qui moderatione eget, est triplex. 1, desiderium. 2, tristitia ac metus: deniq; 3, lætitia.

Virtus gubernans affectum desiderii, iterum duplex est, nempe vel gubernans desiderium opum, vel honorum: prior αὐτάρκεια *vocatur, posterior* Modestia *dici potest.*

Αὐτάρκεια *est virtus moralis* πρὸς ἡμᾶς, *quoad nos, quæ moderetur desiderium opum & possessionum, seu facultatum externarum, vt nempe præsentia boni consulamus, nec plura, quam pro occasione temporis possidere possumus, anxiè desideremus.*

Apud Aristotelem specialis tractatio de hac virtute in Eth. non extat, & est tamen virtus in primis necessaria; idque propterea, quod cum plerisque hominibus velut nascatur vitiosũ desiderium, per quod semper plura appetunt in bonis fortunæ, quam possident in præsenti. Vnde illud symbolum Iustiniani Imperatoris: *Multi nimium, nemo satis habet.* Quem quidem affectum plerisq; hominibus insitum quoties considero, toties de eius causa cogito, quî nempe fiat, quod pleriq; homines non sint contenti præsentibus suis facultatibus, sed semper plura, imò infinita appetant. Iudico autem causam esse duplicẽ. 1, quidem in ipsa natura obiecti, siue in bonis externis, quæ *Fortunæ* vocamus: cum enim hæc tantum secundaria bona sint, imo non bona naturâ, sed tantum suo vsu, ideo per se appetitum & desiderium hominis explere non possunt, cum propriè & primariò dicti boni hic sit natiuus effectus, sistere atque explere appetitum. Altera causa est in exemplis aliorum hominum. Quando enim homo videt alium hominem multa habere, statim ita iudicat; tu etiam homo es, ergo tu quoque in omnibus alteri homini par esse debes, & per consequens, tantum possidere, quantum ille possidet

fidet. Itaque exemplis moti & ſtimulati homines, ſemperque cupientes tantum poſſidere, quantum alii poſſident, deſideriis feruntur in infinitum, prout infinita ſunt exempla, quæ intuentur. Cum ergo tam efficaces cauſæ ſint, quæ impellunt hominem ad nimia deſideria opum, ideò tanto magis neceſſaria eſt virtus, & tanto lubentius admittendæ ſunt admonitiones de hac virtute: præſertim cùm alia quoque accedat ratio, quam argutiſſ. exprimit Publius in hoc Mimo: *Alienum nobis, noſtrum plus aliis placet.* Sed audiamus admonitiones partim ſacras, partim profanas. Syr. c. 42. *Sis contentus ſiue multum, ſiue parum lucri facias.* Heb. 13. *Sitis contenti præſentibus.* 1. Tim. 6. *Habentes alimenta & indumenta, quibus tegamur, contenti ſimus: Cum enim nihil intulerimus in hunc mundum, nihil efferemus.* Thuc. lib. 7. τὸ παρὸν ἀεὶ βαρύ, *Præſens ſtatus ſemper grauis eſt:* Ideo tanto tolerabilius ferendus: Δεῖ ἀρέσκεσθαι ἢ ἀγαπᾶν τοῖς παροῦσι. *Placeant nobis & amemus præſentia.* Herodianus: Δεῖ ἀγαπητῶς ἔχειν ἕκαστον τὰ ἑαυτοῦ. *Oportet quemque diligere ſua ipſius.* Iſocr. ad Dem. σέργε τὰ παρόντα. *Ama præſentia.* Cæterum, αὐτάρκεια à nonnullis Ethicis generalius ſumitur, ita vt etiam ſub ſe complectatur virtutem moderatricem deſiderii honorum, atque adeo ſic definitur, quod ſit virtus, per quam vnusquiſque ſuo demenſo, ſuis bonis & honorib. ſibi à Deo conceſſis atque adeo ſuo ſtatu eſt contentus, inque eo grata mente acquieſcit, nec ſollicitè amplius deſiderat. Sed malumus virtutem hanc ſpecialius, prout plerique, ſumere, quatenus nimirum moderatur deſiderium opum & facultatum, quomodo ſanè præcedit virtutem moderantem deſiderium honorum, quia deſiderium opum prius eſt deſiderio honoris.

Partes αὐταρκείας *duæ ſunt: quarum prior eſt opum, quæ nobis contingunt, grata acceptatio. 2. Acquieſcentia ſiue quies in iis tanquam ſufficientib.*

Propria αὐταρκείας, *ſequentibus canonibus exprimuntur.*

1 Αὐταρκεία *coniuncta ſemper eſt cum bonitate ingenii & iudicii, & omne moderatum ingenium eſt*

etiam αὐτάρκεις: *contrà omne fatuum & ambitiosum ingenium est* πλεονεκτικόν.

Id nimirum est, quod Syracides dicit, capite vigesimo primo: *Homo moderatus paucis est contentus.*

2 Αὐτάρκεια *facit, vt etiam iis quæ non habemus perinde fruamur ac si ea haberemus, atque adeo supplet in nobis defectum earum rerum, quæ nobis de-*

Hoc effectum αὐτάρκειας, grauiss. verbis docet Apostolus. 1. Tim. 6. *Magnus quæstus est pietas* μετ' αὐταρκείας, *cum animo sua sorte contento.* Atque huc pertinet præclarum dictum Soc. apud Xenoph. Αὐτάρκεια ἐστι φύσεως πλοῦτος, *Autarcia est naturæ opulentia*, i. possessio omnium eorum, quæ immensis cupiditatibus in infinitum alii homines desiderant. Item illud Senecæ, *Breuiss. ad diuitias per contemptum diuitiarum* (nempe moderatum, qui est αὐτάρκεια) *via est.* Huc pertinet illud Claudiani:

Viuitur exiguo melius.

3 Αὐτάρκεια *facit, ne de nostris possessionib. periclitemur, sed vt parta tueamur & conseruemus: quando enim contemnimus & fastidimus præsentes possessiones, & captamus maiores, facile præsentes illas amittimus.*

Huc pertinet egregium illud Democriti inter fragmenta eius extans: Τὲ πλέον ἐπιθυμία τὸ παρὸν ἀπόλλυσι· *Cupiditate plurium rerum amittuntur præsentia.* Regula inprimis omnibus negotiatoribus obseruanda, qui dum cum cane Æsopico captant ampliorum diuitiarum vmbras, amittunt etiam eas, quas ante pepererant opes. Nempe non cogitant, vt omnium rerum humanarum, sic quoque mercaturæ certas esse periodos tum publicas tum priuatas.

Oppositum αὐταρκείας *in excessu, est Pleonexia, cupiditas nempe & impetus, quo quis rapitur, vt semper plus acquirat quam habet.*

De hoc Canon est: *Pleonexia, quæ &* auaritia *dici potest, quatenus nempe refertur* πρὸς ἡμᾶς *&*

non

non πρὸς ἄλλον (sic enim auaritia est oppositum liberalitatis) producit duos detestabiles effectus: primò quidem specialem, qui est αἰσχροκερδία, turpis lucri studium: post etiam generalem, vt nempe sit radix omnium vitiorum, idque propterea, quia totius vitæ finem & scopum proponit absurdissimum, nempe possessionem amplam pecuniæ, qua nec ipse fruaris, nec alii: ex quo scopo oritur violatio legum diuin. & human.

In defectu pugnat cum aut arcia: i. fastidium rerum præsentium, & deinde ὀλιγωρία, omnis sufficientiæ neglectus, quæ parit duas filias valdè deformes, nempe ignauiam in vocatione & officio, per quã ne manum quidem aliquis de pane quotidiano vertit, vt proverbio dicitur: & deinde egestatem extremam.

CAPVT III.

De Modestia & Magnanimitate.

CONspeximus etiam virtutem moderantem desiderium opum: vocat nos methodus ad virtutem, quæ moderatur desiderium honoris, quam vno nomine licet ambiguo, φιλοτιμίαν vocamus.

Φιλοτιμία est ex illorum vocabulorum genere, quæ μέσα vocamus, i. talia quæ in bonam & malam partem accipi possunt, prout quidem fateor sæpissimè φιλοτιμίαν vsurpari pro ambitione, sed sicut philautia est amor sui ipsius honestus, ita quoque φιλοτιμία dici potest desiderium licitum honoris.

Φιλοτιμία spectatur vel absolutè, siue in gradu honorum mediocrium, & dicitur Modestia: *vel spectatur*

tur secundum quid & in gradu honorum sublimium, & dicitur Magnanimitas.

Aristoteles de magnanimitate & modestia distinctis locis tractat: Et de magnanimitate quidem priori loco, nempe lib.4 cap.3. de modestia verò loco posteriori, nempe eodem lib.cap.4. Nec tamen propterea specie completâ hæ virtutes distinguuntur: quandoquidem circa vnum idemque obiectum versantur gradibus solummodo distinctum: Modestia circa honores minores siue mediocres: Magnanimitas verò circa honores maiores & sublimiores. Sicut ergo eadem est pulchritudo in corporibus proceris, quæ est in corporibus breuibus & paruis, licèt pulchritudo in corporibus proceris sit spectabilior, quam in paruis: ita licèt magnanimitas sit spectabilior virtus quam modestia, tamen propterea tota & plena specie non distinguuntur: id quod etiam satis innuit. Arist.2.Eth. c.7. & 4.Ethic. cap.4.

Modestia est virtus, per quam bonam famam in genere & honores minores seu mediocres conuenienter ac decorè appetimus, acquirimus, persequimur & tuemur.

Modestia apud Græcos est ἀνώνυμος, sicut satis patet ex citatis iam locis Aristot. vbi rem explicat sine nomine: tribuitur autem ei generale nomen φιλοτιμίας. Apud Latinos modestiæ vox est ambigua: Interdum enim sumitur pro verecundia & pudore, sicut sumit Cic. 2. Offic. vbi inquit: *Si est in oratione mixta modestiæ grauitas, nihil admirabilius fieri potest, eoque magis si ea sit in adolescente.* Sumitur etiam modestia pro virtute moderante gestus & vestitum corporis, atque adeo pro animi moderatione omni, præsertim in rebus lætis & secundis. Sed nos hîc accipimus, cum plerisque Ethicis Aristotelem explicantibus, pro virtute moderante appetitum honoris: quo modo etiam in textu definitur, quod sit *virtus, quæ mediocritatem seruat in honoribus nobis debitis eo modo expetendis quo decet.*

Partes modestiæ tres sunt: 1, acquisitio legitima honorum, vel etiam eorundem neglectus, si acquirere eos legitimè

legitimè non possimus. 2, acquiescentia in mediocribus honoribus. 3, conseruatio & defensio mediocrium honorum.

Canones de Modestia sunt hi.

1 *Studium boni nominis & famæ, atque adeo veræ gloriæ, quæ est testimonium internum virtutis, & externum quoque aliorum rectè iudicantium, illud, inquam, studium bonæ famæ & nominis est primum ac generale proprium modestiæ.*

2 *Modestiæ quoque est, contra sycophantas & calumniatores bonam famam & existimationem atque innocentiam legitimis rationibus tueri.*

Non pugnat cum modestia refutatio calumniarum, quas Sycophantæ nobis intentant: sed is est proprius effectus modestiæ, pertinens ad tertiam eius partem, quæ consistit in conseruatione honoris: ideo & S. literæ præcipiunt, vt sycophantis & calumniatoribus respondeamus, vt apparet Prouerbiorum 26. Syrac. 20. 1. Tim. 3.

3 *Cum modestia coniuncta est humilitas, per quam nempe maiores honores non appetimus, quam vel meremur, vel præsens rerum occasio nobis indulget, & per quam nemini nos præferimus in mediocribus honoribus constituti.*

4 *Modestia semper se prodit & exerit in verbis & gestibus. Opponitur modestiæ in excessu ambitio, cuius mater est præsumptio, id est, vendicatio falsa eius virtutis, quam non habeamus: inde enim oritur ambitio, tale nempe vitium, quo maiores honores ambimus, quam vel virtus & meritum nostrum, vel ratio & æquitas, vel præsens Reip. status & conditio temporum permittunt.*

De ambitione tanquam extremo modestiæ, tractat Aristo-

teles.4,Ethic.cap.4.vbi dicit hoc vitium vocari φιλοτιμίαν, sic tamen, vt hoc vocabulum sæpè pro ipsa virtute sumatur, quod supra quoque monuimus.

Ex hoc vitio oritur aliud vitium planè cognatum nempe superbia, orta ex mediocribus honoribus per quam putamus nos maioribus honoribus dignos esse: quia mediocribus digni fuimus, atque adeo nos aliis in eadem honorum mediocritate constitutis longè præferimus.

In defectu cum modestia pugnat ἀφιλοτιμία *quæ est nimia animi demissio & deiectio, per quam ne mediocribus quidem honoribus, quos virtus nostra meretur, dignos nos esse putamus.*

Eius partes sunt: 1, ἀγνοια, *id est, ignoratio & denegatio eius boni & virtutis quæ in nobis est. 2. eius virtutis repressio & otiosa possessio, quæ* ἀναισθησίαν, *includit, & producit nimiam sui & suorum donorum extenuationem, per quod vitiũ multi quæruint modestiæ laudem, cum tamen hæc reuera nulla sit modestia.*

Tantum de modestia: *sequitur* MAGNANIMITAS, *quæ est virtus, per quam magnos honores virtuti nostræ debitos legitimè appetimus, accepta-mus, & conseruamus.*

Aristot. vocat μεγαλοψυχίαν. & egregiè huius virtutis naturam explicat cap.4. lib.4. Eth. Cic. Aristotelicam vocem secutus, subinde vocat *magnitudinem animi*. Accipitur autem magnanimitatis nomen tripliciter apud Ethnicos scriptores.1, pro magna tolerantia & fortitudine, quâ quis, vt elegantiss. Pindarus loquitur, πάντα κοσμίως φέρει, *Omnia eleganter tolerat*, etiam aduersissima: de qua virtute paulo post. 2, accipitur pro excellenti liberalitate, sicut

apud

apud Cic. 3. Offic. *In quibus*, inquit, *magnus est animus, in ijs pecuniæ cupiditas spectat gratificandi facultatem.* Denique 3. magnanimitas sumitur pro virtute moderante appetitum magnorum honorum, & eorundem possessionem & conseruationem, prout hoc loco accipimus, & prout alij Ethici quidam definiunt; quod sit virtus spectans decus in diuitiis, & rebus secundis, præcipuè autem & in dignitate & magistratu, & vitans dedecus in aduersis. Merito autem dicitur magnanimitas hæc virtus; 1, quia magnus animus ad eam requiritur & cor excelsum, plenumq; spiritus & caloris. 2, quia versatur circa magnos honores, honor autem est omnium bonorum extremorum maximum.

Obiectum circa quod versatur hæc virtus, in genere est omne id, quod magnum est in rebus humanis, in specie vero est honor magnus, qui propterea dicitur proprium obiectum magnanimitatis, quod sit omnium bonorum externorum maximum: vtpote qui Deo tribuatur, & ijs qui Dei vices gerunt in terris, quique adeo est virtutis præmium, & quodammodo virtute ipsa præstantior, quatenus nos impellit ad virtutem.

Hæc de obiecto Magnanimitatis sunt ex Aristotelis textu desumpta 4. Ethic. 3.

Partes magnanimitatis sunt tres: 1, *appetitus magnorum bonorum, decet enim magnos viros appetere magnos honores, vt illustriora fiant interiora animi dona, atque adeo vt virtuti & donis Dei debita præmia tribuantur: sed appetitus iste est conditionalis, si nempe bonum publicum & præsens rerum status magnos honores nobis permittat.* 2, *Acceptatio magnorum bonorum si offerantur, quæ acceptatio Græcis dicitur* λῆψις. 3, φυλακὴ, *conseruatio & defensio acceptati semel magni honoris.*

Connexum magnanimitatis, est status sublimior, & dignitas siue magistratus, quæ dignitas μεγαλειότης *dicitur.*

Quia magnanimitas magnam similitudinem habet cum superbiâ & fastu, ideo diligenter nobis considerandæ sunt eius notæ, criteria, & canones, quibus huius virtutis propria requisita & effecta declarantur, quæ considerantur vel respectu honoris, vitæ, & morum, vel denique fortunæ.

Canones de propriis requisitis & effectis Magnanimitatis circa honores sunt hi.

1 *Magnanimus non nimis cupidè aut anxiè honores expetit, quasi essent ei res aliqua rara & noua; sed expetit moderatè & iure, tanquam sibi debitam virtutis mercedem.*

2 *Magnanimus non expetit quosuis honores promiscuè, nec à quibusuis, sed veros & magnos honores à viris magnis & claris delatos; paruos verò honores ab hominibus vel improbis vel obscuris delatos, neutiquam acceptat.*

3 *Magnanimus in honoribus constitutus aliorum calumnias & obtrectationes parui facit, nec patitur eas in se hærere, aut ab ijs vllum sibi in virtutis ac dignitatis suæ cursu impedimentum obijci.*

Ista ordine sunt in textu Aristotelis breuibus verbis expressa, à nobis nonnihil latius diducta cap. 3. lib. 4.

Canones de requisitis magnanimitatis circa vitam & mores sunt hi.

1 *Magnanimitas est commune ornamentum omnium virtutum, idcirco nemo potest esse magnanimus, nisi simul sit vir optimus; quia solus vir optimus est magno honore dignus, & propterea dicitur magna-*

nanimus quisq́, quia in vnaquaq; virtute habet quid magnum & excellens; & quia reliquas omnes virtutes magnanimitas reddit maiores quodammodo & splendidiores.

2 *Hinc sequitur, eos qui summo loco nati sunt, & qui immensis opibus abundant, si à virtute defecerint, magnanimos iudicandos non esse.*

3 *Circa temperantiam ita se gerit magnanimus, vt voluptatem non ita magni faciat, nec tanti habeat, vt propter eam velit aliquid admittere, quod dignitati suæ sit contrarium, ideoque omnes voluptates moderatissimè expetit; solam autem eam voluptatem, quæ ex virtute est, auidissimè complectitur.*

Postquam Aristoteles in genere docuisset, quod magnanimitas sit coniuncta cum omnibus virtutibus, postea in specie ostendit, quomodo se magnanimus habeat circa quinque præcipuè virtutes, nempe temperantiam, liberalitatem, iustitiam, mansuetudinem & veracitatem.

4 *Circa liberalitatem ita se habet magnanimus, vt beneficia in alios conferat & promptè & largè; in accipiendis vero beneficijs sit tardus & verecundus; in petendo autem admodum tardus, nisi summa vrgeat necessitas; Neque est querulus apud quenquam, siue aliqua re egeat, siue non, sed potius hoc operam dat, vt sit* αὐταρκὴς, *sibijpsi sufficiens: Nec diu etiam retinet acceptorum beneficiorum memoriam, propterea, quia statim ea compensat; idcirco etiam non placet ei commemoratio eorum beneficiorum, quæ in alios confert: beneficiorum verò eorundem, quæ in alios contulit, memoria & recordatione se oblectat, & ferre potest, vt ab alijs prædicentur: quate-*

nus

nus nempe id ad dignitatẽ eius spectat: Deniq; magnanimus omnes opes & possessiones non quæstu & lucro, vt alij homines, sed honestate & splendore virtutis æstimare solet.

5 *Circa iustitiam ita versatur magnanimus, vt si aliquid distribuendum sit, aut commutatio instituenda, ne minimam quidem iniuriam vlli faciat: quia nempe bona fortunæ, in quorum commutatione vis iustitiæ posita est, præ ipsa virtute nullius æstimat.*

6 *Circa mansuetudinem magnanimus ita versatur, vt quia contemnit iniurias & calumnias, sicut supra diximus, idcirco non sit* μνησίκακος *& memor istorum malorum & iniuriarum sibi illatarum, neque* τιμωρητικὸς, *vindictæ cupidus.*

7 *Circa veracitatem magnanimus ita se habet, vt & verbis & gestibus sit aptissimus & liberrimus* ἀληθευτικὸς καὶ παρρησιαστικὸς, non εἴρων aut κολακευτικὸς, *non dissimulator aut adulator; quia nempe omnis magnanimus mauult esse quam videri bonus.*

8 *Cum tres tamen sint ordines, ita vt alij sint magni, alij humiles, alij intermedij; magnanimus nouit se erga omnes hosce conuenienter gerere: nam apud magnos & graues viros magnus quoque & grauis existit, idque propter conscientiam virtutis suæ, quâ se nouit viris magnis esse parem: erga mediocres vero & humiles magnitudinem animi miscet ac temperat dulcedine quadam & gratiâ, ne eos videatur vlla ratione contemnere.*

Distinctionem illam hominum in magnos, mediocres & humiles, Aristoteles breuiter tantum innuit in hoc cap. 3. lib. 4. sed lib. 4. Politic. cap. 11. istam distinctionem planioribus

ribus verbis exprimit. Hîc autem in Ethicis generaliter dicit, quod in congressibus magnanimus habeat rationem personarum, cum quibus versatur, & quod erga magnos sit magnus, ita tamen vt mediocres & humiles non despectet. Quod autem Seneca dicit, *animo magno nihil est magnum*, id non accipiendum est ita, quasi magnos non magni faciat magnanimus, aut quasi omnia ei sint parua, sed quod vir magnanimus nihil tam magnum esse iudicet, cui non possit sua virtute par esse: quia nempe non ex seipso, sed ex virtute omnia æstimat.

9 *Magnanimus in suscipiendis actionibus est cunctator, & prius diligenter considerat, quales sint, & quem possint euentum habere: quin & in conficidis actionibus tardior est, ne nimia festinatione bonam causam corrumpat vel perdat.*

Sequuntur nunc pulcherrimæ & valdè euidentes notæ externæ, quibus tanquam viuis coloribus pingitur magnanimus, & quæ id simul testantur, virorum magnanimorum temperamentum non esse vel bilioſum, vel phlegmaticum, sed compositum ex sanguine & melancholia, quod temperamentum Aristoteles in Problematibus *Heroicum* vocat.

10 *Vir magnanimus vtitur incessu tardo, & voce graui, distincta ac articulata, & stabili ad indicandam animi sui tranquillitatem & constantiam, & ne videatur esse* πολυπράγμων, *id est, pluribus negotiis implicitus.*

Cum vox sit duplex, pronuntiata & scripta, ideo virum bonũ etiam decet scriptura grandior.

11 *Vir magnanimus loca honorata, & in quibus alij tenent primas, non ita sæpè frequentat; ne vel honorem ibi aliquẽ affectare videatur, vel se cogatur aliis submittere plus, quam virtutem suam decet.*

Non ita acceperim hæc verba Aristotelis, quasi vir magnanimus inuideat locum superiorem aliis dignioribus; sed ita, quod quia facile possit fieri in turba hominum, vt suæ virtuti conuenientem locum non adipiscatur magnanimus, ideo eiusmodi loca plena turbarum so-

leat

leat vitare, non tam seipsum respiciens, quam suam virtutem & statum, quem debeat tueri quouis tempore & loco.

12 *Vir magnanimus non admiratur ita sublimiter aliorum dicta & facta, neque etiam de aliis multum loquitur; præsertim si adhuc viuant.*

Aristoteles hoc proprium magnanimo tribuit, quod non sit θαυμαστικὸς, qui facilè admiretur: & ratio est, quia omnis admiratio oritur vel ex ignorantia causarum, vel ex consideratione rei nouæ & inconsuetæ. Cum ergo vir magnanimus diligentissimè rerum causas & momenta consideret, vt ante audiuimus, & cum conscius sibi sit magnarum virtutum & factorum, ideo aliorum magnæ virtutes & facta non accidunt aut videntur ei noua aut inconsueta; quanto.n. minus aliquis possidet virtutis, tanto magis virtutẽ in aliquo admiratur. e.g. vir rudis & plebeius valdè miratur hominẽ etiã leuiter literis tinctũ, qui e.g. possit Græcè vel hebraicè loqui, cõtra autẽ vir magnanimus non miratur. Atq; ex his patet, quam non rectè eiusmodi consequentia ex verbis Arist. extruatur; *magnanimus neminẽ admiratur: Ergo neminem magni facit, aut nemini iustam laudem tribuit, sed alios omnis præ se contemnit.* Aliud enim est laudare & magni facere, aliud admirari; admiratio.n. est summus gradus laudis, quo prædicamus tantam virtutem, quanta in nobis nec est, nec esse potest; qualiter quidem si prædicaret magnanimus alterius laudes, non esset magnanimus; quia, vt diximus supra, magnanimitatis prima est pars agnoscere in se virtutem magnam & magnis honoribus dignam; Neque propterea despicit alios magnanimus, aut se aliis præfert illegitimè, etiamsi alios non admiretur; siquidem etiam aliàs in communi vita multa non admiramur, quæ tamen propterea non contemnimus; exempli gratia, vir excellenter doctus non potest admirari peritiam legendi Græcè aut Hebaricè, quæ est in alio, interim tamen eum non contemnit, qui potest legere Græcè aut Hebraicè, sed potius ipsum commendat, & ista commendatione inflammat ad maiores in ista lingua profectus.

15 *Magnanimus nemini inuidet.*

Non

Non habet quidem Arist. hoc in textu, sed tamen sequitur ex textu; Nam quia non ita admiratur aliorum virtutes, quando suas quoq; grata mẽte agnoscit, ideo nemini potest inuidere.

14 *Magnanimus habet in vnaquaque virtute magnum quid & excellens, idcirco etiam ad magnam fortunam siue prosperam, siue aduersam sustinendam est aptissimus.*

15 *Magnanimus non est* φιλοκίνδυνος *neq;* μικροκίνδυνος, *i. non amat pericula, neque facilè se committit periculis præsertim iis, in quibus virtus non magnoperè potest effulgere: sed est* μεγαλοκίνδυνος, *i. necessitate magnâ vrgente magna & necessaria pericula adit, inque iis nõ parcit suæ vitæ, sed statuit sibi potius gloriosè moriendum esse, quam viuendum, periculis turpiter declinatis.*

16 *In rebus autem secundis magnanimus etiam seruat eandem animi constantiam, æquabilitatem & tenorem, vt ferè non possis animaduertere in vultu & gestibus aliquod discrimen, siue eum consideres rebus secundis siue aduersis: non quasi sit* ἀπαθὴς, *sine affectu, aut quasi domi non ploret interdum in obitu coniugis aut liberorum, vel aliis eiusmodi acerbitatibus, sed quod sedens pro throno dignitatis suæ, magnanimus non indulgeat luctui eo vsque, vt propter luctũ aliquid eius dignitati aut officio publico decedat.*

17 *Magnanimus circa amicitiam est* φανερόφιλος & φανερόμισος, *id est, non celat amorum suum, sed si quem amet, testatur amorẽ suum verbis & factis. Contrà si quem odit, testatur odium suum verbis & factis, neque in eo metuit aliorum offensiones, quia scit se habere sui vel amoris vel odii iustissimas causas.* Cap. 3. lib. 4.

18 *Mag-*

Aristoteles ibidem.

18 *Magnanimitas est virtus difficillima: & difficile est esse magnanimum, quia magnanimũ oportet esse* καλοκἀγαθὸν *in omni virtute excellentem.*

1 *Magnanimitas est virtus periculosa, quæ facile degenerat in superbiam, idcirco non est affectanda quibusuis ingeniis nec in quouis statu, sed tantum in magistratu: interim tamen sunt propria magnanimi, quorum similitudinem omnes sectari debent, quocunque sint loco constituti: & in studiis quoque ac doctrinis liberalibus danda nobis est opera, vt vestigia magnanimitatis sequamur, atque excellentem nobis scopum proponamus, atque ad hunc scopum magno conatu connitamur ad similitudinem magnanimorum virorum, similitudinem dico, quia ipsam magnanimitatem is qui adhuc studiis literarum operam nauat, neque ad certum dignitatis gradum emersit, sectari nec potest, nec debet.*

Atque hæc quidem de Natura magnanimitatis, quam ita Aristoteles descripsit, vt multis videri possit pugnare cum humilitate Christiana. Sed quia magni honores etiam à Christiano homine geri possunt, & quia dignitas seu magistratus non pugnat cum Christianismo; ideo nec magnanimitas, & potest quis esse politicè magnanimus, id est, potest tueri magnanimitatem politicam, qui tamen est spiritualiter pusillanimis & humilis, ita vt agnoscat & deploret peccata sua, seque sciat nil aliud esse quam lutum & vermiculum miserrimum.

Opponitur magnanimitati superbia, χαυνότης, *fastus qui est vitium, per quod maiori dignitate & honore nos ipsos dignos iudicamus, quam reuera sumus, cuius mater est* præsumptio, *quæ est error circa virtutes aut virtutum gradus, quo nempe nobis inesse putamus eas virtutes, quæ planè non insunt, vel tantas quantæ non insunt; Filiæ autem & effectus sunt,* ἀλαζονεία

ὄγκος, *ostentatio magnæ virtutis, quæ fit verbis, gestu & vestitu. Item* μεγαλολογία, *id est, quando de nobis ipsis gloriosè loquimur, siue per nosmetipsos siue per alios tanquam Psaphonis aues.*

Canones de superbia sunt hi.

1 *Omnis superbus est stultus, quia imitatur tanquam simia magnanimum in rebus quibusdam externis & ridiculis, vt in gestu & voce; atque ita seipsum deridendum præbet ista ostentatione, cultu corporis, incessu & gestu. Atque ita superbus peccat in seipsum, quia seipsum aliis præbet ludendum.*

Hoc est quod Germani dicunt non inelegantibus rhythmis:

Das stolk seyn narzherit ist betand:
Denn stolk von stultus **wird genand.**

2 *Superbus omnis est iniustus, quia plus sibi tribuit quam sibi debetur: &, per consequens, aliis etiã derogat quod aliis debebatur.*

Hæc duo propria superbiæ Aristoteles grauiter depingit sub finem cap. 3. lib. 4.

3 *Omnis superbus se præcipitat in grauissima mala: quia affectat honores, quibus non est dignus, & aggreditur res viribus suis maiores, quas postea non potest ad finem perducere: vnde postea, si in periculis versetur, in quæ sua se culpa coniecit, ab omnibus ridetur, vel nullo vel pauciſſimis condolentibus.*

4 *Quando cum superbia coniuncta est inciuilitas morum & gestuum, tunc vocatur* superbia rustica **Grobstolk Bawrstolk:** *quando vero coniuncta est ciuilitas gestuum, vocatur* **Hofstolk.**

5 *Superbia quatenus alios fastuosè contemnit, atq; ex isto fastuoso cõtemptu iniuriam aliis & ignominiam*

Sen. Felix se erigendo felicitatem a-

mittit. *Symb. Iu. Constãtis:* Crescente superbia, decrescit fortuna: **Hoffart compt vorm fall.**

miniam infert, vocatur ὕβρις.

In defectu opponitur magnanimitati μικροψυχία καὶ μικροπρέπεια, *pusillanimitas in magnis honoribus, & in magistratu deiectio animi.*

Sicut magnanimitas propriiſſ. voc. Græcis est μεγαλοψυχία, i. est virtus, quâ quis in magnis dignitatibus potest decus & autoritatem officii sui tueri; ita μικροπρέπεια, est animi illa angustia & deiectio, per quam etiam iis honoribus nos indignos iudicamus, qui tamen nostræ virtuti debentur, aut quando ad istos honores euecti sumus, non possumus in iis decus & autoritatem officii tueri.

Canones de Pusillanimitate sunt hi.

1 *Omnis pusillanimus peccat in seipsum & virtutem suam, dum nempe se iis honoribus spoliat, qui virtuti debentur: & quia concitat de seipso apud alios malam suspicionem, quasi sibi conscius sit alicuius sceleris, propter quod se honoribus indignum iudicat.*

2 *Omnis pusillanimus ingratus est in Deum, à quo virtutes & dona accepit.*

Primus canon est in textu Aristotelis, vnde secundus eruitur.

3 *Omnis pusillanimus reddit seipsum segnem & inutilem ad res gerendas, & tum seipsum tum etiam patriam defraudat multis bonis, quæ bona orirẽtur, si animum rebus gerendis applicaret.*

4 *Ad pusillanimitatem refertur istud vitii genus, quando ii, qui digni sunt magnis honoribus, appetunt vitam solitariam, habentes illud* λαὶ δε βιώσας *in ore, sub prætextu nempe vel corruptissimorum in genere humano morum, vel ingratitudinis hominum, vel religionis.*

Tantum etiam de magnanimitate & eius oppositis atq; adeo moderatione animi in honoribus: Se-

qui-

quitur moderatio animi in lætitia & rebus secundis, quæ potest dici AEquabilitas animi.

AEquabilitas est virtus, quæ moderatur affectum animi in lætitia siue reb. secundis & prosperis.

Huius canon est.

Quia lætitia habet adiunctam voluptatem variam, & verò voluptas animum vehementer rapit ad vitia, ideo difficilis admodum est virtus, quæ modum seruat in rebus secundis.

Luxuriant animi rebus plerunque secundis, inquit Poeta. Et Pindarus: *Nihil est difficilius concoctu quam felicitas & res secundæ. Et Germ.* **Es mussen starcke beine seyn, die gute tage tragen konnen.**

Opponitur huic virtuti in excessu lasciuia & insolentia, siue luxuries animi: in defectu verò squalor & morosa quædam, inconcinna, & saxea duricies.

CAPVT. IIII.

De Sedulitate, Tolerantia & Fortitudine.

VIdimus virtutes circa obiecta grata, nempe honores & lætitiam: Spectemus nunc virtutes circa obiecta minus grata.

Virtus circa obiectum minus gratum est vel circa laborem, vel circa aduersitates: quarum illa dicitur Sedulitas, *hæc verò* Tolerantia *seu* Aduersitas.

SEDVLITAS *est virtus per quam labores nostræ personæ & officio conuenientes ita, vt decet,*

suscipimus & continuamus, ac perferimus : Dicitur etiam solertia & industria, *atque* assiduitas *Græcis* φιλοπονία.

De hac sunt Canones.

1 *Sedulitas & φιλοπονία, ex obiecto, quod initio ingratum est, temporis progressu facit obiectum gratiss. idque propter cogitationem de fine & fructu laboris, quâ cogitatione finis dulcescunt media.*

Quia supra docuimus, magnam quandam voluptatem & iucunditatem inesse actionib. virtutis, & verò experientia testatur, omnes homines á labore esse procliues ad otium, omnemque laborem nobis grauem ac molestum accidere, ab initio præsertim, cum laborare incipimus : ideo canone isto docemur, quod sedulitas dulces labores faciat, nempe per cogitationem de fine & fructu, quem ex labore percipimus : Et ita docet Arist. lib. 3. Ethic. cap. 9. vbi mouet sibi ipsi obiectionem circa doctrinam fortitudinis : quia, inquit, fortitudo versatur circa molesta, quomodo verum est quod antè li. 2. docui, actionem virtutis coniunctam esse cum voluptate ? Et respondet dupliciter, primò actiones virtutis considerari vel ante acquisitum habitum vel post : Ante habitum acquisitum actiones obiectorum ingratorum esse molestas: post habitum verò acquisitum, actiones obiectorum ingratorum esse iucundiss. Sic nempe, antequam quis habitum studendi acquisiuit, molestus ei est studendi labor, sed acquisito habitu nil ei est suauius quam studiis vacare, & contra nil molestius, quam á studiis aliquandiu vacare. Idem accidit omnib. in quocunque vocationis & officii genere. Secunda responsio Aristotelis est, quod actiones virtutum considerentur dupliciter, nempe vel solæ & per se, ac separatim, vel ratione finis sui : & sic eas esse difficiles subinde, ac arduas atque molestas, si nempe considerentur separatim sine respectu ad finem. Si verò finem respiciant & fructum, esse iucundiss. Vnde illud : *Virtutis radices amaras esse, fructus verò dulces.*

2 *Sedulitas & φιλοπονία, instrumentum est & occasio*

occasio multarum virtutum exercendarum, & contra plurimorum ac grauiss. vitiorum fugiendorum: habetque pro filia & effectu ἀλλοτριεπισκοπίαν. i. vt quis neglectis alienis, sua curet.

Oppositum φιλοτονίας in excessu est περιεργία, nimia diligentia & satagentia, cuius filiæ sunt ἀλλοτριεπισκοπία & πολυπραγμοσύνη: in defectu verò otium & ignauia, cuius soboles est omne vitium & infidelitas in officio vocationis suæ.

Sequitur tolerantia & patientia, Gratis ὑπομονή, quæ consideratur vel in genere vel in specie.

In genere considerata tolerantia est virtus, quæ omnes aduersitates & dolores, quos depellere non possumus, tranquillâ & compositâ mente toleramus: neque propterea quicquam inhonestum, aut indecorum vel in nos, vel in alios admittimus.

Obiectum tolerantiæ & patientiæ est dolor & timor, adeoque omnis aduersitas corporis & fortunæ.

Tolerantiæ continuatio dicitur Perseuerantia & Constantia in rebus aduersis, habetque pro effectu spem, quâ bene confidimus fore, vt ista mala sortiantur lætum euentum.

Opponitur tolerantiæ in excessu stupiditas, qua mala non sentimus, in defectu verò desperatio & animi impatientia, ac plenaria deiectio.

Specialis tolerantia est FORTITVDO, quæ est virtus, per quam pericula & aduersa, cum necessitas postulat, robusto pectore adimus, atque adeo grauissima etiam pericula mortis ipsius, prout decet, sustinemus ac toleramus.

Venimus ad pulcherrimam doctrinam & masculos Aristotelis

Aristotelis discursus de fortitudine, qui sunt lib.3.c.6.& seq. vbi quidem sollicitè disputant interpretes, cur Aristoteles virtutum doctrinam ordiatur à fortitudine, & fortitudinem faciat primam virtutem in ordine. Sed non est multum in eo situm: habet enim Arist. rationem obiecti, quod quia est maximè arduum in fortitudine, ideo placuit ei hanc virtutem aliis præponere, nihil interim præiudicans methodo virtutum isti, quæ ducitur ex ordine vniuersalium ad particularia. Dicitur autem fortitudo Græcis ἀνδρεία, ἀπὸ τῦ ἀνδρὸς *à viro*, quia hæc virtus maximè digna est sexu virili, quem euidentius discernit à sexu fœmineo, præsertim cum etiam pendeat à temperamento calidiori, & à corde spirituosiori & compactiori, quod rarum est in sexu fœmineo, nisi quatenus is degenerat ad virilem. De quâ notatione nominis Cicero.2.Tuscul. *Viri propria maximè est fortitudo, cuius munera duo sunt, nempe mortis & doloris contemptio.* Aliàs fortitudinis nomen generaliter etiam accipitur in Ethicis, pro omni tolerantia & patientia in aduersis, quam *Fortitudinem domesticam* appellare nonnullis placet, sicut contrà fortitudo propriè dicta, illis vocatur *Publica fortitudo.* De qua fortitudine domestica Cic. sic inquit. 4. Tuscul. *Fortitudo & scientia perferendarum rerum, vel affectio animi in patiendo & ferendo summæ legi parens sine timore.* Et.1. Offic. *Fortis & constantis animi est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem deiici de gradu, vt dicitur, sed præsenti animo vti, & nec à consilio, nec à ratione discedere.* Et sic etiam vsurpat Horat.lib.2.Od.10.

Rebus angustis animosus, atque
Fortis apparet, sapienter idem
Contrahis vento nimium secundo
Turgida vela.

Fortitudo est vel perfectè dicta, vel imperfectè & secundario, siue κατ' ἀναλογίαν

Necessariam & vtilem esse hanc diuisionem fortitudinis, ostendit cap.8.li.3. Eth. in quo Arist.nil aliud tractat, quàm discrimen inter fortitudinem quam vocat *veram*, & eam quam vocat *apparentem*, de quibus paulò post dicturi sumus.

Fortitudo

Fortitudo perfectè dicta est virtus, quæ mediocritatem seruat in iis, quæ terribilia sunt, & fiducia animi egent, atque adeo in adeundis periculis sustinendisque laboribus, solo fine honestatis & vtilitatis publicæ.

Hæc definitio colligitur ex Aristotele li.3.c.6. vbi inquit: Ἡ ἀνδρεία ἐστὶ μεσότης περὶ φόβους καὶ θαῤῥῆ. *i. fortitudo est mediocritas circa metum & fiduciam.*

Obiectum fortitudinis est vel generale, vel speciale.

Generale, est vel primarium vel secundarium.

Primarium sunt τὰ φοβερὰ, *omnia formidabilia, quæ animum hominis perturbare possunt, atque adeo omnia mala & aduersa, quæ metum & formidinem causantur.*

Hoc obiectum Aristot. expresse nominat citato iam cap. vbi cum dixisset: Fortitudinem versari circa φοβερὰ, postea explicat, quæ sint φοβερὰ. i. ea, quæ metum incutiunt. Metus autem est προσδοκία τοῦ κακοῦ. *i. expectatio mali.*

Mala autem quædam talia sunt, vt ab omnibus sint metuenda: quia honestum est ea metuere, vt est omne scelus, sceleris pœna, item ignominia nostra & nostrorum: Quædam verò sunt talia, vt citra reprehensionem metui vel non metui possint, si non accersiuimus nostra culpâ: vt est inuidia, inimicitia, paupertas, orbitas, exilium, morbus, & similia.

Sunt etiã formidabilia quædã ὑπὲρ ἄνθρωπον, super hominem: *i. talia, quæ maiora sunt, quam vt possint ab humana natura contemni, vt est omne prodigium & portentum extraordinarium, quo ira Dei denunciatur, nempe fulmina, terræmotus, exundationes.*

Talia formidabilia omnio metuenda sunt viro forti, & qui ea non metuit, aut est ἄθεος, *aut mentis*

inops.

Atheiſmi exemplum eſt in Herode, qui volebat perſuadere ſuis militib terræmotum nullo modo eſſe metuendum. Stoliditas verò & inſania eſt, quando Pſylli contra Auſtrum armata manu profecti ſunt, propterea quod ille ventus diutius ſpiraret & ipſis admodum eſſet moleſtus: cuius ſtultitiæ ſuæ pœnas dederunt, dum contra ventum nitentes arena maris obruti ſunt, vt refert Herod: Non multum diſſimile exemplum refert AElian l. 12. c. 23. de Celtis, qui acie inſtructi prælium inierunt contra mare, quod nimia inundatione contra eos æſtuabat.

Quædam autem formidabilia ſunt κατ' ἄνθρωπον, ſecundum hominem. *i. talia quæ poſſunt à viro forti ſuſtineri & non metui: Et hæc iterum ſunt vel maiora, quæ ſc. magis aliquem poſſunt perterrefacere, vel minora, quæ minus.*

Huiuſmodi ſunt omnis generis pericula, quæ in humana vita ſolent contingere, & quæ antea recenſuimus, vt eſt paupertas, captiuitas, orbitas, exilium, morbus, mors, circa quæ verſatur fortitudo, et in quibus maximè conſpicitur.

De his Ariſtot. citato loco, & Cicero. 5. Tuſcul. *Si qui inducant animum*, inquit, *vires, valetudinem, pulchritudinem, diuitias, honores contemnere, eaque quæ iis contraria ſunt pro nihilo ducere, ii poterunt clariſſ. voce profiteri ſe neque impetu, nec multitudinis opinione, nec dolore nec paupertate terreri, omniaque ſibi in ſeipſis eſſe poſita, neque eſſe quicquam extra ſuam potestatem quod ducant in bonis.*

Secundarium obiectum fortis eſt τὸ θαρραλέον. *i. omne quod requirit animi confidentiam, vt ſunt præcipuè labores, moleſtiæ, quas ſæpe oportet virum fortem ſuſtinere, quæ propterea dicuntur ſecundarium obiectum fortitudinis, quia fortitudo magis verſatur circa formidabilia.*

Comparat inter ſe Ariſtoteles cap. 9. lib. 3. τὰ φύσει &

τὰ θαρραλέα. id est, formidabilia & fiduciaria; & probat formidabilia principalius obiectum fortitudinis esse propterea, quod magis perturbare soleant hominum animos, & quia etiam vulgo receptum sit eos appellare fortes, qui in formidabilibus sunt præsenti & magno animo.

Speciale & proprium obiectum fortitudinis est mors, tanquam omnium terribilium terribiliss. quia est extremum omnium rerum in hac vita; & quia spem adimit omnium exercitiorum virtutis moralis, & omnium bonorum in hac vita homini gratorum, nempe honoris, voluptatis & opum; Sed propriss. fortitudinis obiectum est mors bellica; Nam licet in alijs quoque mortis generibus, & periculis vir fortis se decenter gerat, & animi sui præsentiam & constantiam ostendat, tamen mauult mori morte bellica tanquam pulcherrima & honestissima, & dolet sibi eiusmodi morte pereundum esse, ex qua nec ipse laudem, neque patria vtilitatem reportare possit.

Si quid est in Ethicis Aristotelis consideratione dignum, illud est quod in hoc loco, nempe c.6. lib.3. dicit de Morte, cui ista tria tribuit: 1, *quod sit* φυσικώτατον, nempe si hominem consideres, quatenus est corpus viuum, & sui conseruationem ante omnia expetens, non autem quatenus est Christianus & imbutus ea pietate, vt confidat mortem sibi fore aditum ad vitam, & extremum in hac vita diem sibi fore melioris vitæ natalem. Secundo dicit, *Mortem esse extremum omnium rerum.* Et denique, *post mortem nihil reliquum esse neque boni, neque mali*: intellige secundum subiectam materiam, nempe boni ciuilis, seu moralis. Christiani enim nouimus spiritualia bona post mortem demum perfectè nobis expectanda esse. Addit deinde Arist. Etsi mors sit omnium terribilissima, tamen non in omni mortis genere virũ fortem propriè spectari; vt si quis naufragio pereat aut morbis confectus extinguatur, sed in morte inprimis bellica, vtpote quæ suscipiatur in periculo maximo & pulcher. & quidē patriæ ac boni publici causa, quæq; propterea sit ho-

neſtiſſima, honoratiſſima, ac præmiis & celebrationibus omnium gentium condecorata, tanquam pro aris & focis, pro religione, pro patria, pro coniuge & liberis tolerata. Atque hoc eſt quod Cic. etiam dicit. 2. De leg. *Reſpub. nomen vniuerſæ ciuitatis eſt, pro qua mori & cui nos totos dare, & in qua omnia noſtra ponere & q. conſecrare debemus.* Et in 14. Phil. *O fortunata mors, quæ naturæ debita, pro patria potiſs. eſt reddita.*

Morti bellicæ cognata eſt illa mors & illud ſupplicium quod ſuſtinetur pro religione & veritate, vel in alia aliqua cauſa bona & innocenti.

Ita etiam Martyribus Chriſti fortitudo Ethica tribui poſſit, non tantum ſpiritualis illa & Theologica.

Qui ſeipſos interficiunt, nulla ratione fortes nominandi ſunt.

Probat hoc Ariſt. ſub finem c. 7. inquiens: Eos, qui ſibi ipſis violentas manus inferunt, etſi videantur mortem contemnere, tamen fortes neutiquam dicendos eſſe propterea, quia nec honeſtatis, nec publicæ vtilitatis cauſa mortem oppetunt, ſed tantum ex impatientia, vt vitent ea, quæ ipſis aduerſa ſunt: Idcirco maximè omnium puſillanimes eſſe, quia cupiant formidabilia declinare, quæ vir fortis maximè appetit.

Tantum de obiecto fortitudinis: Sequuntur propriæ affectiones & effecta fortitudinis & viri fortis, quæ ſequentibus canonibus comprehendimus.

1 *Vir fortis non quæuis pericula adit ac ſuſcipit, ſed pericula tribus requiſitis prædita: 1, vt ſint honeſta: 2, vt ex iis poſſit laudem reportare: 3, vt ſint in publicum vtilia.*

Hinc concluditur, eos qui duello & monomachia congrediuntur, itemq; omnes gladiatores & pugiles non eſſe viros fortes; quia adeunt periculum mortis, quod non eſt coniunctum cum bono publ. niſi fortè duella aut monomachiæ ex pacto ineantur, ita vt victoria futura ſit penes eam partem, ex qua Monomachus victor prodibit. Hinc ſequitur Poriſma, quod poſſis tueri nomen & laudem viri fortis, etiamſi te non

stas ad eiusmodi duellum, in quo siue vincaris siue vincas, nulla inde queat redire in publicum vtilitas.

2 *Vir fortis in periculis quidem est animosus & impauidus, sed tamen vt homo, non vt lapis vel truncus, vel etiam brutum animal. Itaq; habet omnino sensum doloris, & licet omnino ei vulnera & mortem metuere tanquam rem naturæ aduersam.*

Bis hoc proprium repetit Arist. primò quidem c.7. deinde c.9. vbi expresse dicit, quod vir fortis non esse debeat insensatus, i. talis qui instar trunci dolorem non sentiat, sed quod possit dolere ob vulnera & mortem. Aliàs enim inquit, si non sentiret dolorem, nulla esset eius laus, cum fortitudo sit virtus dolorem rectè ferens. Imò, inquit, quo maiorem dolorem percipit, eumq; decenter perfert, eo maiorem fortitudinis gloriam habet. Et addit postea; vir fortis debet mortem metuere propter 2. causas, 1, quia est dignissimus longiori vitâ, & quandiu viuit, potest sua virtute aliis prodesse; idcirco debet dolere sibi ex hac vita esse discedendũ. 2, nouit se per mortem spoliari multis huius vitæ commodis & præmiis virtutis, quibus viuus frui poterat, & quæ ei merito debebant esse cariss. Atque inde velut consectarium elicitur, eos verè fortes non esse, *qui Diabolicis artibus inducunt stuporem membris, ne vel vulnerari possint in bello, vel vllum ex ictu dolorem in corpore sentire.*

3 *Vir fortis adit pericula certo consilio & ratione, i. prudenter, apud eas personas, apud quas oportet; itẽ eo loco & tempore, quo oportet: idq; facit firmo & constãti proposito, non desultoria leuitate.* Arist. c. 7.

4 *Vir fortis nullius lucri aut quæstus causa adit pericula, nempe primario & principaliter, sed solius honestatis ergô, atq; idcirco non nisi in bona causa.*

Arist. ibid. c.7 dicit virum fortem adire pericula τῆς καλῆς ἕνεκα, nos Christiani addere possumus, quod religionis & pietatis causa vir fortis pericula adeat: atque idcirco non militet nisi in bona causa. Intelligendũ autẽ id est de causa principali; nam aliàs potest & vir fortis mereri stipendia, non tanquam

quam finem principalem ista spectando, sed vt minus principalem & secundariũ. Vnde alia quædam corollaria sequuntur. 1, *Eos non esse fortes milites, qui contra bonam causam militant, aut veram religionem, si nempe sciant esse veram*; vt factitant (proh dolor) multi Germ. qui vel Hispano contra religionem, quam ipsi tanquam veram profitentur, vel etiam ipsi Turcæ militant. 2, *Quod illi non sint viri fortes, qui arma deponunt, quando Duces stipendia non possunt soluere, quod ex necessariis & ineuitabilibus causis nonnunquam accidit.* Tales enim finem principalem, nempe honestatem & pietatem postponunt fini minus principali, nempe stipendiis. 3, *Quod milites mercenarij qui causam belli non considerant, sed temerè tantum propter solam pecuniam in bella ruunt, nulla ratione sint fortes dicendi*, & per conseq. *quod exercitus ex talibus hominibus conflatus non possit esse felix, quòd ad victoriam acquirendã requiruntur viri verè fortes.* Obiter etiam hoc notetur, quam sint boni milites illi, quos desperatio facit milites, aut qui propter scelera & omnem honestatis conculcationem ignominiosè eiiciuntur ex vrbibus & pagis, & ad militiam vel ab aliis vel à seipsis condemnantur; illi nulla ratione fortes, sed potius fortitudinis hostes dici debent. Quod autẽ ad militem mercenarium attinet, qui vel propter solum stipendium, vel propter prædam militat, etiamsi maxima pericula propter ea adeat & sic satis strenuè se gerat; atque adeo nonnunquam possit esse in bello vtilis, quia nimirum patitur sibi imponi talia onera, quæ viri fortes detrectarent, tamen non esse eum dicendum fortem probat Arist. sub fin. c. 9. hoc argumento; quia non honestatis, sed lucri causa periculum adit: 2, quia vitam suam nullius ducit plerunque, atquẽ idcirco sine ratione aut sensu doloris periculum suscipit, quod est contra naturam viri fortis.

5 *Vir fortis non tantum omnia agit honestatis & pietatis causa, sed etiam agit honestis & licitis mediis, prout in legitimo & aperto bello fieri decet.*

Hoc quidem proprium non habet Arist. sed tamen sequitur ex antecedenti, & illa generali doctrina quam supra habuimus, quod verum & bonum finem nunquam sine bonis mediis assequi possumus. Hinc sequitur, eos fortes viros non esse

esse qui sicarios emittunt ad trucidandum hostem: quod Hispanis vsitatũ est: item qui id agunt vt venenum clam hosti propinetur: Quia apertũ bellum differt à cæde priuata, & etiamsi admittat stratagemata, tamen eiusmodi dolos & fraudes malitiosas nulla ratione admittit. Id quod etiã intellexit fortis ille heros Rom. C. Fabr. ad quẽ cum Pyrrhi regis Medicus clam in castra veniret, & suam operã ei offerret ad venenũ R. suo Pyrrho propinandũ, vinctum eum Fabricius ad Pyrrhũ remisit, & de hominis infidelitate regem monuit, & idcirco ab hoste egregiũ testimonium reportauit, *quod sol citius cursum suum sit mutaturus, quam Fabricius mutaturus cursum honestatis.* Eutrop. li. 2. & Gel. li. 3. c. 8.

Opponitur fortitudini in excessu audacia & temeritas, in defectu verò timiditas.

Audacia est vitium & nimia quædam fiducia in adeundis periculis.

Arist. c. 7. li. 3. & c. 2. lib. 2. ita definit audaciam, & audacem hominem, quod sit qui nullum omnino timet periculũ, sed illud suscipit sine ratione cum quadam arrogantia.

Can. de differentia inter audaciam & fortitudinem, atque adeo inter audacem & fortem sun hi.

1 *Conueniunt quidem in eo audax & fortis, quod vterq; intrepidè adit pericula, sed differunt in eo:* 1, *quod fortis suscipit pericula prudenter & cum ratione, audax imprudenter & sine ratione.*

2 *Differt etiã in eo audax à forti, quod audax ante periculũ est valdè arrogãs, inquietus & temerè prouocãs & contẽnens hostẽ & valde minax; in certamine verò remissior & timidior: fortis v. ante periculũ placidus, nec minax, aut securus vel contẽptor hostis, in periculo verò et certamine est acris & imperterritus.*

3 *Audax etsi periculũ aliquandiu sustinet, tamen non sustinet cõstanter, sed vbi res in arduũ venit, fugã arripit, vnde & θρασύς καὶ dicitur, i. qui habet iactantiam quandam cum timore coniunctam.*

In

In defectu vero est timiditas: quæ est dolor ex cogitatione mali deficiens in confidendo.

Vide 3. Eth c.7. & 2. Rhet. c.5.

Tantum de perfecta fortitudine; Fortitudo κατ' ἀναλογίαν & similitudinem est vel ex ignorantia, vel non ex ignorantia.

Fortitudo imperfecta ex ignorantia, est quæ ignorat periculi magnitudinem & circumstantias; & idcirco si periculum maius ingruat quam ante præuisum fuit, fugit.

Arist. c.8. explicat fortitudinem tanquam genus analogũ, & recenset species analogas quinque, quas ad dichotomiam retulimus, & quam Arist. vltimo loco posuit, primam ponimus; nempe fortitudinem διὰ τὴν ἄγνοιαν, secundum ignorantiam, qualis plerunq; est in tyronibus, qui valdè alacres proficiscuntur ad militiam, ita vt videantur fortiores quam ipsi veterani, de quibus est Prouerbium. *Dulce bellum inexpertis.* Arist. valde accommodatum habet exemplum de Argiuis, qui cum incidissent in Lacedæm. valdè strenuè pugnabant, quia putabant esse Sicyonios, quos antea sæpe superauerant. Sed cum experirentur esse Lacedæmonios, statim terga dederunt.

Fortitudo imperfecta cum scientia, est vel ciuica vel experimentalis, vel iracunda, vel denique fiduciaria.

Ciuica seu ciuilis fortitudo est, ad quam ciues alicuius vrbis aut arcis legibus obligantur, ita vt qui strenuè pugnant præmiis, qui minus strenuè, pœnis sint afficiendi.

De hac Canon est: *Ciuica fortitudo non est perfecta fortitudo:* 1, *quia non est voluntaria, sed quodam modo coacta imperio legum, & comminatione pœnarum imperata:* & 2, *quia non simpliciter spectat honestatem, sed vel præmia vel euitationem pœnæ.*

Fortitudo

Fortitudo experimentalis est, quæ exercetur magis propter experientiam, & propterea quod aliquis fortunâ tale periculum sæpè antea euitarit.

Arist. ad Eudem. cap. 1. vocat στρατιωτικὴν ἀνδρείαν, bello induratorum militum fortitudinem.

De hac canon est, *Fortitudo experimentalis, non tam nititur prudentiâ, quam consuetudine militandi, nec tam expectat honestatem, quam vitæ vtilitatem & spolia; quâ spe pereunte, huiusmodi fortes terga vertunt.*

Aristoteles in textu affert exemplum ciuium Coronensium, qui aliquoties strenuos se præstiterant contra Phocenses, & postea putantes hanc fortunam fore perpetuam, cum aliis quoque dimicarunt, sed ita vt in prælio terga verterint.

Fortitudo iracunda est, quando ex ira, odio, aut vindictæ cupiditate sine certo consilio magna pericula adeuntur, & ad tempus etiam sustinentur.

Vocatur ἀνδρεία διὰ τὸν θυμὸν & διὰ πάθη, 3. Eth. cap. 8. & lib. 1. Magn. Moral. cap. 21.

Canon de hac fortitudine est.

1 *Differt iracunda fortitudo à fortitudine propriè dicta:* 1, *quia non tam ratione quam affectu exercetur: & caret destinata quadam proæresi & consilio expedito & liquido: quod omnino in propriè dicta fortitud. requiritur:* 2, *quia hæc fortitudo etiam est in malis hominibus & stultis, imo & similitudine quadam in bestiis: vera autem fortitudo non est nisi in viris bonis & prudentibus.* 3, *denique differunt effectu: quia iracunda fortitudo cum non sequatur rectam rationem, sed animi tantum conturbationem, ideo conturbatè omnia agit, & modum non seruat, neque etiam agit honestatis causa, sed tantum vt expleat vindictæ cupiditatem.*

Omnia

Omnia hæc insunt in textu Aristotelis, cap. nimirum 8. li. 3. vbi cum dixisset fortitudinem iracundam esse animositatem quandam in adeundis periculis, profectam ex vindictæ cupiditate; addit deinde, iram quidem esse affectum valde necessarium & incitamentum ad pericula, atque adeo cotem fortitudinis, sed tamen ex isto affectu per se considerato & in gyrum rationis redacto veram & propriè dictam fortitudinem non oriri: Idcirco certa esse discrimina inter fortitudinem propriè dictam & iracundiam, quæ discrimina canon docuit. Et pertinet huc illud Cicer. 1. Officiorum, *Semper ira procul absit, vtpote cum qua nihil recti aut considerati fieri potest; quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec cõstanter fieri possunt, nec iis qui adsunt probari.*

Restat fortitudo per spem, siue fiduciaria, quæ est animositas in adeundis periculis, excitata propter spem certam animo conceptam vel euasionis vel victoriæ, dum nempe adesse videmus magna præsidia & auxilia, quibus niti queamus.

Canon de hac fortitudine est: *Differt hæc fortitudo à fortitudine perfecta;* 1, *quia oritur non tam à causæ bonitate & proposito honestatis, quam spe & fiducia quadã, quam concepimus ab externis auxiliis, quæ nobis adfutura in periculo scimus aut speramus.* 2, *quia hæc fortitudo saltem sibi constat in periculis præuisis: in subitis autem & repentinis animum despondet, cum nempe se videt sua spe frustratam esse. Contra vero fortitudo perfecta in omnibus periculis se decenter gerit, tam præuisis quam subitis, & in vtrisque vir fortis præstat constantiam vsque ad mortem. Denique differt etiam fine, quia hæc fortitudo non tam honestum appetit, nec ideo se animosam ostendit, quia causam bonã esse nouit, sed quia certam habet animo conceptam spem vtilitatis aut gloriæ extra veram aut perfectam virtutem positæ, cum*

perfecta

perfecta fortitudo solam honestatem præcipuè spectet.

Aristoteles citato capite vocat fortitudinem hanc διὰ τὸ ἁπλῶς, & ista discrimina indicat & discrepantias à perfecta fortitudine, quas canon expressit. Et sic quidem etiam de fortitudine.

CAPVT V.

De Iustitia distributiua & commutatina.

FVerunt virtutes quæ referuntur ad nosmetipsos: Sequitur virtus, quæ magis ad alium refertur, nempe 1, *Iustitia particularis.* 2, *Liberalitas & Magnificentia.* 3, *Humanitas & Affabilitas, denique Vrbanitas.*

Iustitia particularis est virtus, qua suum cuique in particulari & certo obiecto, modoque tribuitur, nempe vel in distribuendo vel commutando.

Hinc nimirum iustitia particularis est vel distributiua vel commutatiua.

De iustitia vniuersali supra egimus, vtpote quæ est directrix omnium virtutum, per quam debitam obedientiam præstamus omnibus legibus, & nouimus quid & quantũ nobis, quid & quantum etiam aliis tribuendum sit in omni virtutum genere. Hîc autem tractamus de iustitia non communi omnibus aliis virtutibus, sed contradistincta ab aliis virtutibus particularibus, per quam nimirum certis & particularibus personis certas res certo modo distribuimus, aut etiam cum iis commutamus. Placuit vero Aristoteli doctrinam de vniuersali & particulari Iustitia vno libro, nempe 5. coniungere, cuius cap. 1. etiam indicat discrimen inter iustitiam vniuersalem & particularem. Et 1. docet iustitiam vniuersalem longè esse perfectiorem, quam sit iustitia particularis. 2. discrimen sumit ex oppositis, quæ monstrat

in

in vocabulis concretis. Iniustus, inquit, dicitur vel generaliter is, qui legem transgreditur, ὁ παράνομος, vel specialiter & particulariter is, qui est ἄνισος, inæqualis in bonorum distributione. Tertium deinde discrimen indicat cap. 2. ductum nempe ab obiecto, quod iustitia vniuersalis versetur circa omniũ virtutum obiecta; iustitia vero particularis præcipuè circa obiecta externa, nẽpe honores & opes. Et deinde 3. argumentis iustitiæ vniuersalis & particularis discrimen comprobat, quæ in textu videri possunt. Et sub finem quidem capitis istius secundi etiam monstrat differentias inter iustitias particulares nempe distributiuam & commutatiuam; quarum 1. est ab obiecto, quod iustitia distributiua versetur magis circa publica, commutatiua autem circa res priuatas. Altera differentia à subiecto; iustitia distributiua magis conuenit publicis personis; Commutatiua autem magis priuatis, siue patribus & matribus familias. Denique 3. discrimen est à proprio: Nam in iustitia distributiua seruatur proportio Geometrica, in cõmutatiua autem Arithmetica. Capite deinde 3. probat vtramque hanc iustitiam particularem esse mediocritatem; quia, inquit, *Omne æquale est medium, Omne autem iustum est æquale, Ergo omne iustum est medium*, &, per consequens, omnis iustitia est mediocritas. Maiorem probat; quia æquale ponitur inter duo extrema, nempe inter maius & minus. Minorem probat, quoniam omne iniustum est inæquale; habet enim vel plus vel minus. Addit deinde, qualis mediocritas sit iustitia, nempe mediocritas secundum æqualitatem analogicam siue proportionalem, quæ consistit intra res siue terminos quatuor, intra quos terminos siue quas res certa quædam est affectio, ita vt sicut se habet vna ad alteram, ita tertia ad quartam. Isti autem 4. termini sunt tum res ipsæ, quæ distribuuntur aut commutantur per iustitiam, quarum vna ad alteram, tanquam terminus ad terminum refertur, tum personæ, inter quas fit distributio & commutatio, quarum vna etiam ad alteram refertur.

Distributiua iustitia est, quæ seruat proportionem in tribuendo eo quo quisq; dignus est.

Et hæc consideratur vel generaliter, vel specialiter.

Ge-

Generalis est vel erga superiores, vel erga pares.

Iustitia distributiua erga superiores, iterũ est vel erga superiores loco & dignitate: vel superiores beneficiis & meritis.

Erga superiores dignitate dicitur obseruantia θεραπεία, *quæ est virtus quâ nos vltro subiicimus superioribus, eosque honoramus & debitis officiis & obsequio colimus.*

Hæc virtus habet 4. partes: 1, *est* ὑποταγὴ i. *est debita subiectio, cum agnoscimus nos alicui personæ subiectos esse vel naturâ, vel alio quodam iure.* 2. *pars est honor, quem isti personæ verbis & gestibus exhibemus.* 3. *est obedientia & obsequium.* 4. *denique est præstatio debitorum officiorum.*

Opponitur obseruantiæ. 1. *quidem irreuerentia, quâ nec agnoscimus nos huic personæ subiectos esse, nec eam debito honore afficimus, sed despectui habemus, atque adeo nec præceptis, nec monitis eius obtemperamus, aut debita officia ei præstamus.* 2. *opponitur* ὀφθαλμοδουλία, *seu reuerentia ad oculum, quando ad oculum & pro forma aliquem obseruamus, atque adeo simulamus tantum reuerentiam, non exhibemus.*

Erga superiores beneficio & merito est gratitudo, quâ nempe agnoscimus beneficia nobis præstita, eorũque memoriam conseruamus, & vtrumque sicut animo, ita & verbis & gestibus, tum etiam factis, si possimus, testamur, atque adeo beneficium beneficio compensamus.

Græcis dicitur εὐχαριστία & ἀντίδοσις, Cic. non vocat gratitudinem, sed grati animi studium.

Eius partes sunt quatuor: 1. *agnitio beneficii ac-*

cepti. 2. memoria eius beneficii. 3. contestatio beneficii agniti, & memoria conseruati: denique 4. compensatio, si ea sit in nostris viribus.

Atque hoc est quod Theologi & Ethici dicunt, *gratitudinem in se complecti duas virtutes, veritatem & iustitiam.* Per veritatem.n.agnoscimus beneficia accepta, & nullo modo dissimulamus: Per iustitiã autem compensare nitimur quod accepimus: Sicut contrà ingratitudo pestilentiss. vitium continet in se præuaricationes duas grauiss.nempe mendacium, cum non agnoscimus aut dissimulamus acceptum beneficium,& deinde iniustitiam, quâ nec retribuimus nec conamur retribuere.

Ad contestationem beneficii accepti pertinet gratiarum actio: quæ est celebratio beneficii, quod accepimus apud eum, à quo accepimus, & deinde etiam alios. 2. votum, quo benè precamur illi à quo accepimus. Et denique promissionem compensationis, aut saltem significationem, quod conemur compensare: compensatio autẽ fit vel donis vel beneficiis.

Opponitur Gratitudini 1. ἀχαριστία ingrati animi crimen, siue ingratitudo, cũ quis vel non agnoscit beneficium, vel non agnoscit beneficii magnitudinem, & id habet pro exiguo, quod reuera magnum est, aut dissimulat se accepisse, aut eius obliuiscitur, aut non testatur verbis & gestibus se id accepisse: aut denique non compensat, cum potest. 2. Assentatio, cum nempe etiam pro malè factis gratias agimus. 3. Gratificatio inhonesta pro beneficio accepto.

Erga pares iustitia distributiua in genere est, quando dona & virtutes in iis agnoscimus, & propter ista dona honorem conuenientem iis tribuimus, atque adeo de aliorum dictis & factis moderatè sentientes, eorum famæ & existimationi nihil detrahimus

Oppo-

Opponitur huic virtuti. 1 *Calumnia, quiæ continet in ſe mendacium & iniuſtitiam: deinde vitium anonymum, per quod aliis nimium tribuimus, quæ aſſentationis quædam ſpecies eſt, quamuis aſſentatio propriè ſit ad præſentes, hoc autem magis ad abſentes.*

Sic de iuſtitia diſtributiua in genere: In ſpecie eſt iuſtitia, quæ præmia pro ratione virtutis & perſonarum, vt & pœnas pro ratione delictorum diſtribuit.

De hac iuſtitia diſtributiua Ariſtoteles tractat dicto capit. 2.3.& ſequente libr.5.& vocat iuſtitiam Διανεμητικὴν quaſi dicas diſtributricem præmiorum & pœnarum. & c.quidem 2. talis definitio ab Ariſtotele innuitur, quod iuſtitia diſtributiua ſit virtus, quæ in diſtributione bonorum vel malorum externorum, rationem habet dignitatis perſonarum & æqualitatis rerum, vt ſingulis pro earum merito ſuum tribuatur.

Obiectum iuſtitiæ Diſtributiuæ ſunt honores, dignitates, præmia, & contrà pœnæ, ſupplicia, caſtigationes, ſimulque perſonæ quibus iſta tribuuntur.

Axiomata & Canones de iuſtitia diſtributiua ſunt.

1 *In iuſtitia diſtributiua debet ſeruari proportio Geometrica, i. talis æqualitas, in qua conſideratur non identitas terminorum ſed ſimilitudo, quâ vt primum ſecundo, ita tertium quarto reſpondet, atque adeo in qua talis ſit diſtributio, in qua obſeruatur circumſtantia perſonarum quibus diſtribuitur, & rerum quæ diſtribuuntur.*

In Mathematicis diſcendum eſt quid ſit proportio, quid item proportio Geometrica, & Arithmetica. Hoc loco breuiter rem explicabimus, idque ductu textus Ariſtotelici, in

quo circa hanc causam crebra fit mentio proportionis Geometricæ & Arithmeticæ. Est autem nihil aliud quam comparatio qualitatum diuersarum ad se inuicem & inprimis numerorum ad se inuicem,& quidem comparatio talis, quâ 3.numeri inter se conferuntur,primus ad secundum & tertius ad quartum.Et hæc proportio duplex est, nempe vel Geometrica, vel Arithmetica.Geometrica dicitur,in qua instituitur comparatio numerorum per quandam similitudinem & non per omnimodam æqualitatem interuallorum. e.g. cum dico quemadmodum se habent.3.ad 6.ita se habent 4. ad 8.hîc non est identitas seu æqualitas comparationis, sed similitudo tantũ, quæ est inter illud interuallum quo distant 3.à 6.& inter istud interuallum quo distant 4.ab.8.Proportio autem Arithmetica dicitur,quando inter 4.numeros aut etiam plures,eiusmodi comparatio instituitur, in qua est identitas interuallorum, siue æqualitas siue idem numerus, quo vnus superat alterum,e. g.si ponam.3. 6.9.12.& instituam comparationem numeri siue interualli, quo 6. superant 3.& 9.superant 6.& 12.superant 9.inuenio esse nõ similem numerum,sed planè vnum eundemque, nempe ternarium. Iã ergo per Metaphorã ista proportio ex Mathematicis transfertur ad res Ethicas, & vocatur in Ethica,*proportio Geometrica*, quando nõ nudè, nec absolutè spectatur æqualitas rum, sed certo quodam discrimine circumstantiarum siue certo quodam respectu personarum,quibus aliquid tribuendum est, aut rerum, quæ tribuendæ sunt.Arithmetica autem proportio dicitur, in qua nuda & simplex spectatur æqualitas, siue conuenientia rerum & personarum, sine vllo discrimine status aut dignitatis in personis,aut etiam circumstantiarum in rebus. Exempli gratia, cum colaphus impactus rustico par habetur colapho quem impegimus principi,hæc est proportio Arithmetica :cum autem colaphus quem impegimus rustico non habetur par isti colapho, quem impegimus principi, tunc seruatur proportio Geometrica : Nam etsi æquè grauis fuerit vterque colaphus, tamen seruandum est discrimen personarum, quibus colaphus est inflictus: Sic contra in virtutibus,cum Regis vitam seruaui,& seruaui vitam rustici,non debet mihi præmium dari Arithmeticum,id est,simpliciter æquale, sed debet mihi dari præmium Geometricum

metricum pro diuerso respectu personarum, quas seruaui. Addit Aristoteles etiam aliam diuisionem proportionis, nempe quod quædam sit continua, quædam discreta. Continua quidem est, in qua actu tantum sunt. 3. termini, potestate vero. 4. quia nempe medius terminus bis sumitur. Exempli gratia, quemadmodum se habēt 2. ad 4. ita. 4. ad 8. hîc. 4. bis sumuntur: ideo dicitur proportio συνεχὴς. Discreta autem proportio est, vbi actu ipso. 4. termini seu numeri sumuntur, vt quemadmodum se habent. 2. ad 4. ita 6. ad 12. Addit autem & docet Aristoteles quod proportio continua non habeat locum in iustitia distributiua, vtpote in qua insunt omnino diuersi termini, nec possunt duo termini ita coniungi, vt efficiant vnum terminum.

2 *Seruatur in iustitia distributiua proportio Geometrica propterea, quia in hac virtute spectare oportet dignitatem personarum, inter quas aliquid distribuendum est, & dignitatem rerum, quæ distribuendæ sunt, vt æqualia æqualibus, & inæqualia inæqualibus tribuantur.*

3 *Vtrum iusta facta sit distributio, cognosci potest ex comparatione terminorum, id est, personarum inter quas aliquid distribuitur, & rerum quæ distribuuntur.*

Postquam Aristoteles docuisset de proportione, quæ seruanda est in iustitia distributiua, addit quoque regulam, ex qua cognosci possit, vtrum iusta vel iniusta, æqua an iniqua facta sit distributio, nempe si persona personæ & res rei cōparetur: quæ comparatio quotuplex sit, statim addit, vt iam canones dicent.

4 *Fit ista comparatio vel separatim vel coniunctim.*

5 *Separatim fit, quando ipsæ partes, id est, termini singuli inter se comparantur, personæ cum personis, & res cum rebus: itē personæ cum rebus, & res cum*

personis.

6 *Coniunctim fit comparatio, quando Totum cum Toto, i. simul & persona & res cum alia persona & re comparatur.*

7 *Quod si in hac comparatione, post distributionem factam totius ad totum, eadem sit proportio, quæ antea erat partis ad partem, tum certum est iustam & æquam distributionem factam esse.*

Ad iustitiam distributiuam reducitur ius Talionis.

Alii Ethici hoc ius referunt ad iustitiam commutatiuam, quæ qualiter fiat, non video. Scriptura sanè sacra illud ius ad pœnas refert, pœnæ autem non ad commutatiuam iustitiam pertinent, sed ad distributiuam.

Est autem talio siue ius talionis, vel simplex vel analogicum.

Talio simplex seu Pythagorica est, quando quis id, quod alteri fecit, simpliciter siue eodem modo quoque patitur.

Aristoteles capite quinto tractat de iure Talionis, quod dicit introductum esse à Pythagoreis ex authoritate Rhadamanthi, qui inter cæteras leges etiam hanc tulit: εἴ τις παθοι τὰ ἐρέξας, δίκη ἰθεῖα γένοιτο: *Si quis, quod fecit, patiatur, ius erit æquum.* Et addit hoc ius à Pythagoreis vocatum esse ἀντιπεπονθὸς, quasi dicas, *Ius repassionis, aut reciproca passio*, à verbo ἀντιπάσχω. Disputat autem contra illud ius simplicis talionis, & dicit quod locum habere non possit neque in iustitia distributiua neque in commutatiua, cuius rei causa pòst intelligetur.

Hæc simplex & Pythagorica Talio, quâ nempe planè idem patimur, quod fecimus, aliena est à iustitia distributiua: quia nõ sẽper potest æqualis fieri retributio, cũ in hac iustitia habẽda sit ratio personarũ

& quidem proportio non identitatis, sed similitudinis, ita vt dignitas personæ, quæ aliquid passa est, debeat in comparationem venire cum eo qui fecit.

Sicut ergo proportio iustitiæ distributiuæ non est identitatis, sed tantum similitudinis, ita quoque repassio non potest esse identitatis: sed oportet videre vtrum persona quæ passa est, sit dignior aut indignior eâ personâ, quæ passionem intulit: similiter & aliæ circumstantiæ loci & temporis inter se comparandæ sunt.

Vt si homo priuatus percutiat principem, non debet seruari simplex talio, ita vt iste priuatus iterum percutiatur, sicut percussit principem, sed pro dignitate principis debet pati, non pro modo delicti. Ita si quis concionatorem pro suggestu stantem verbis vel factis lædat, grauius debet puniri, non tantum propter circumstantiam personæ, sed etiam loci. De qua discretione circumstantiarum, propter quas ius talionis Pythagoricum non potest seruari, imo planè iniquum est, vide pulchrè disputantem Gell. libr. 20. capit. 1. Addit autem Aristoteles ibidem etiam in iustitia commutatiua, ne similitudine quidem aliqua posse valere ius talionis; quia, inquit, ibi non eadem pro ijsdem, sed diuersa pro diuersis sæpè commutantur.

Analogica vero seu proportionalis talio est, quæ reducitur ad certam æqualitatem secundum proportionem personarum & rerum.

Hæc talio cum nihil aliud sit quam compensatio & retributio tam bonorum quam malorum, facta proportionaliter; ideo valdè necessaria est in humana societate; sublata enim bonorum retributione & malorum vindicta, existeret omnium rerum confusio & fœda seruitus.

Oportet vero in iustitia distributiua & iure

Talionis omnia reduci ad certam æqualitatem secundum proportionem, propterea, quia est dissimilitudo & inæqualitas magna non tantum in rebus hominum, sed etiam in ipsis hominibus; vtpote cum humana & ciuilis societas non ex vno hominum genere constet, nempe ex solis medicis vel agricolis, sed ex hominibus diuersæ conditionis & societatis, itemque ex diuersis opificijs & negotiationibus, quorum opificiorum & negotiationum opera atque effecta nisi ad certam & æquabilem rationem reuocentur, non potest fieri vlla iusta inter homines distributio & commutatio.

Ista autem similitudo hominum & rerum reducitur ad æqualitatem siue rectam rationem, si recta fiat comparatio, id est, si videas quantum vna alteram vel dignitate vel pretio excedat, aut etiam excedatur & superetur ab altera: & deinde videas quomodo ille excessus & defectus complanetur: nam excessu & defectu complanato, per compensationem oritur æqualitas.

Ad iustitiam distributiuam pertinet iustitia iudiciaria, *cuius proprietas est* ἀνθυποπολημία, *quæ est virtus iudicum, quæ externis qualitatibus personarum, quæ ad rem de qua agitur, seu quæ in iudicium venit, nihil pertinent, nihil etiam tribuit, nec eas respicit.*

In distributiua iustitia valet proportio Geometrica, quâ respiciuntur non tantum res, sed etiam personæ, vt supra docuimus. Quomodo ergo dicat aliquis, respectus personarum pugnat cum iustitia? Respondet definitio ἀνθυποπολημίας, quod nempe is respectus personarum pugnet cum iustitia, quando respiciuntur eæ qualitates personæ, quæ nihil ad propositam rem, de qua in iudicio controuertitur, pertinent:

pertinent; vt quando lis est de hæreditate, de emptione, de venditione, item de homicidio, de adulterio; non debet tum fieri respectus personæ, vt vel absoluatur dignior persona, quæ scelus commisit, vel ei aliquid iniqui adiudicetur.

Pertinet etiam ad iustitiam distributiuam iustitia defensiua & propulsatrix, quando nempe ab innocentibus propulsantur iniuriæ, & defenduntur ij, qui seipsos tueri non possunt.

Opponitur iustitiæ distributiuæ iniustitia distributiua; *quæ vel plus vel minus tribuit, quàm tribui debebat in præmijs & honoribus.*

Iniustitia diuidi potest in iniustitiam nimij, & nimis parui.

Has tamen iniustitias Aristot. sub finem c. 5. dicit se sub vno vocabulo Iustitiæ comprehendere: quia, inquit, iniustus vna eademque actione simul in vtroque peccat: cum enim vni facit iniuriam minus ei tribuendo, quam debebat, necesse est vno eodemque actu tribuat plus vel sibi vel alteri cuidam, vt ita in actione iniusta hæc duo simul concurrant nempe iniuriam facere, quod est τὸ πλέον ἔχειν, & iniuriam pati, quod est τὸ ἔλαττον ἔχειν, minus habere.

Tantum de distributiua: Commutatiua est, quæ versatur in dando & accipiendo eo, quod ad vtilitatem pertinet, & non ad præmium virtutis, vel pœnam delicti.

Hæc etiam consideratur vel in genere vel in specie.

In genere considerata iustitia commutatiua est virtus, quà fidem datam seruamus, aut saltem debitam, non violamus.

Pertinet ergo huc omnis satisfactio & præstatio promissi, recta administratio rationum, richtige Rechnung, *& exolutio debitorum.*

In

In specie Iustitia commutatiua est virtus, quæ in contractibus specialibus & in rerum commutatione, nullo habito personarum respectu, eam seruat rerum æqualitatem, vt suum quisque consequatur, & nulla parte defraudetur.

Arist. 5. Ethic. 2. & 4. vocat iustitiam συναλλακτικὴν, q. d. *contractiuam* aut *commutatiuam*, vt vulgo effertur. Vocat etiam διορθωτικὴν, q. d. *correctiuam*, quæ nempe corrigit & reducit res inæquales ad æqualitatem, siue per sententiam iudicis, siue absque sententia iudicis.

Obiectum ergo iustitiæ commutatiuæ sunt omnes res, de quibus inter se contrahere omnes possunt.

De hac sunt hi Canones.

1 *Etsi iustitia commutatiua in eo dicatur differre à distributiua, quod hæc magis ad publicas personas, ista ad priuatas pertineat, tamen quoque in publicis rebus commutationes à publicis personis instituendæ sunt.*

2 *Etsi valdè pertinet hæc iustitia ad mercatores; tamẽ ad omnes etiam omnino homines referri debet, cum nullus reperiatur, qui non interdum cum homine conferat.*

3 *Iustitia commutatiua seruat proportionem non Geometricam, sed Arithmeticam, i. non habet rationem & respectum vllum personarum contrahentium, sed tantummodo rerum commutandarum, siue earum de quibus fit contractus, vt ita neutra pars habeat quod possit vel de nimio gloriari, vel de nimis paruo conqueri.*

Arist. c. 3. lib. 5. dicit in iustititia commutatiua strictè seruandam esse proportionem Arithmeticam, cuius rei rationem reddit cap. 4. vt seq. canon dicet. Cæterum in hac iustitia commutatiua valdè excelluit Q. Mutius Scæuola, vt refert Rutilius in eius vita: qui cum aliquando fundum

dum emere vellet & precium nominari petiſſet, & id pretium venditor indicaſſet, dixit ſe pluris æſtimare, addiditque centum millia: Vnde patet, quod iuſtitiæ opus & κατόρθωμα ſit, ſi venditor fortè minoris æſtimet quam debeat, vt nos ipſi ſponte noſtra plus ei demus, nempe tantum quanti æſtimari debebat ex iuſtitia. Stob. Sermone 24. itidem magno elogio commendat iuſtitiam commutatiuam Thuriacorum populorum, apud quos & venditor & emptor cogebatur publicè iurare apud Magiſtratum, venditor quidem, quod non pluris æſtimaret quam debebat, emptor quod non plus daret quam debebat.

4 *Seruanda autem eſt neceſſariò proportio Arithmetica, quia res tantum ſpectari debet & rerum æqualitas ſine vllo reſpectu perſonarum, vt nimirum ipſi permutantes vtrinq; capiant æquales partes, & neutra poſſit de inæqualitate rei ipſius vel gloriari, ſi nimis accepit, vel conqueri ſi nimis parum accepit; Et niſi æqualis comparatio ſeruetur, & precium reſpondeat merci, ac tantum quiſque det, quantum accepit, facilè alterutra pars contrahentium redigetur ad inopiam, commerciaq; tandem omnia ex genere humano tollentur.*

Ariſtoteles citato c. 4. probat ſeruari debere proportionem Arithmeticam in hac iuſtitia. 1. ex natura obiecti. 2. ex cauſa finali, vt in Can. dixi. Addit autem & aliud argumentum ibi, quod non eſt expreſſum in Canone, ductum nimirum ex effectu iniuſtitiæ in iudice, ad quem lis defertur poſtquam iniuſta facta eſt commutatio: Is enim volens corrigere inæqualitatem in contractu commiſſam, non reſpicit cuius conditionis & dignitatis ſint perſonæ contrahentes, ſed ſimpliciter ſpectat magnitudinem lucri & damni, atque hoc agit, vt quod in lucro & damno inæquale eſt, fiat æquale: atque idcirco demit partem ei, qui nimium habet, & addit partem ei, qui nimis parum habet, perinde ac ſi quis duas lineas inæquales cupiat æquare, & partem abſcindat lineæ longiori & addat breuiori. Magnum autem dubium

oritur

oritur ex eodem textu Arist. Nam sub finē cap. dicit signum commutationis esse, quando ij, qui commutarunt, post factam permutationem tantundem habent, quantum habebant ante permutationem, ita vt neutra pars possit vel de lucro gloriari, vel de damno cōqueri: vnde sequi videtur, quòd omnis mercatura sit contra iustitiā commutatiuam, vtpote cuius finis sit aliquid lucrari. Sed respondetur, Aristot. tantum hîc respicere proportionem æqualitatis inter res de quibus contrahitur, non autem respicere medium & mensuram istius permutationis, ex quo medio oriri possit lucrum secundum iustitiam commutatiuam.

5 *Vt autem hæc proportio in commutatiua rectè obseruari possit, tenenda sunt duo.* 1, modus. 2, media.

Modus consistit in rerum inter se collatione, vt quanto vna alteram dignitate & pretio superat, aut ab altera superatur, tantum in excessu vel defectu ex vtraque parte compensetur.

Arist. cap. 5. proportionem & æqualitatem in iustitia commutatiua seruandam admodum præclarè & pulchrè explicat, & docet duo esse obseruanda, nempe modum & medium siue instrumentum commutationis & mensuram. Et modum quidem eum esse dicit, quem Canon exposuit, & qui tali exemplo declarari potest. Agricola & vinitor cupiunt inter se iustè commutare frumentum & vinum, quæ sunt res dissimiles, & inæqualis pretij. Itaque facienda est comparatio & videndum, quomodo precium vini superet pretiū frumenti: & si pretiū vini pretiū frumenti triplo superet, oportebit triplo plus frumenti in quantitate dare agricolam, quam in vino accepit, vt sic detracta quātitate ex vino, oriatur æqualitas pretii in re ipsa. e.g modus frumēti vænit vno floreno, vini autem oma, vt vulgo vocant, vænit tribus florenis. Oportebit ergo agricolam tres modios frumenti dare pro vna oma.

7 *Medium seu instrumentum & mensura, per quam exercetur iustitia commutatiua, est illud ipsum, per quod rerum pretia æstimantur.*

Non

Non sufficit enim scire modum quo sit facienda commutatio rerum permutandarum, nisi etiam adsit æstimator aliquis, aut qui mensuret precia rerum inter se comparandarum.

8 *Medium autem hoc pendet vel ex natura, vel ex instituto hominum.*

Ita diuidit Arist. dicto.c.5. vbi dicit, duo esse media, quibus rerum permutandarum precia possint estimari, & quibus cognosci possit earum proportio, quam erga se mutuo habent, nempe vnum medium esse τῇ φύσει, per naturam, alterum esse κατὰ συνθήκην.

9 *Medium pendens à natura est vel primarium vel secundarium.*

10 *Primarium medium naturale est diuersitas terrarum & nationum, atq; adeo indigentia & vsus rerum in diuersis populis: Tanto enim precioſior res quælibet habenda est, quanto magis per naturam ea indigent homines, & quanto magis necessarium præstat vsum.*

11 *Atq; hæc fuit prima mercaturæ sanciendæ origo & occasio, quod in diuersis terris seu locis homines viuerent, nec singula ad vitam humanam necessaria in singulis regionibus nascerentur & prouenirent.*

Voluit enim Deus & natura, vt societatem vitæ inter se colerent non tantum eiusdem pagi & vrbis, nec tantum eiusdem regionis homines, sed etiam & incolæ diuersissimarum & remotissimarum terrarum; idq; propterea, vt cultura morũ & liberalium artium, & doctrina religionis de gente in gentem propagari posset. Hinc nimirum fecit vt diuersæ terræ diuersa proferrent, & vnius regionis homines egerent rebus in altera regione prouenientibus, vnde illud Poetæ, 1. Geor.

Hîc segetes, illic veniunt felicius vuæ, &c.

12 *Est ergo mercatura orta ex iure naturæ & confirmata iure gentium omnium.*

13 *Et*

13 *Et sequitur inde quòd ea terra felicissimè sit ex qua plura exportari possunt, quàm importari necesse sit*

14 *Sequitur etiam hinc, quod commutatio mercium quæ fit sine pecunia, sit prima & primaria species mercaturæ, atq; adeo sit primarium exercitium iustitiæ commutatiuæ.*

Quod primarium exercitium existimo ab Arist. inprimis respici in tota hac doctrina & in huius virtutis tum nomine (dicitur enim commutatiua iustitia) tum proportione, in qua hoc obseruandum esse ait, ne altera pars de lucro possit gloriari, altera de damno conqueri. Nam quia commutatio mercium initio tantum facta est ad necessitatem, ideo non plus recipiebatur, quam dabatur in pretio, atque ita lucrum magnum esse non poterat. Cæterum magna erat simplicitas priorum hominum in exercenda iustitia commutatiua, & qualem hodie frustra quæras: id quod patet exemplo populorum in Asia, qui *Seres* appellabantur, & à quibus *Sericum* denominabatur. Cũ enim intelligerẽt illi peregrinos mercatores ad commutationem serici aduentare, deponebant sericũ in loco conspicuo, atq; ita abibant & æstimationẽ peregrinorũ mercatorum arbitrio subiiciebant: Vnde illud Virgilii:

Ignoti facie, sed noti vellere Seres.

15 *Secundaria mensura naturalis est annona publica, & mercatorum iniquitate non corrupta: Talis enim annona sine publica æstimatio merciũ proximi, à natura, i. ab indigentia pendet.*

16 *Instituto hominum mensura iustitiæ commutatiuæ est nummus seu pecunia.*

Nummus dicitur ἀπὸ τοῦ νόμου i. à lege; nam publicis legibus & institutis pecunia & cuditur & valet, vnde & *Numisma* appellatur. De pecuniæ autem inuentione valdè variant autores, & legi de ea potest P. Virgil. lib. 2. De inuentione c. 22. & Alexand. ab Alex. lib. 4. c. 15. Nos ex Aristotelis textu veram proprietatem & vsum nummi indicabimus.

17 *Nummi beneficio res omnes metimur.*

Arist. lib. 5. cap. 5, insignes vsus recenset nummi & pecuniæ

niæ, quos hiſce canonibus breuiter explicabimus.

18 *Nũmus ſucceſſit in locum indigentiæ: etenim quando nos indigemus ea re quam alter nobiſcum cupit permutare, tum eius loco conferimus nummum, vt poſſimus accipere eam rem, qua nos egemus, & ille viciſſim ſi noſtra aliqua re indigeat, poteſt eam à nobis ſibi comparare per eundem nummum.*

19 *Nummus ſubit vices ſponſoris, & eſt ἐγγυητὴς, fideiuſſor in rebus neceſſariis & ἀνταλλαγμα τῆς χρείας id eſt ſubſidium neceſſitatis & indigentiæ.*

20 *Nũmus conſeruat contractus, ita vt cum per res eiuſdem generis, aut etiam diuerſas, idem exoluere non valemus, poſſimus id præſtare per nummum.*

21 *Nummus hominum inter ſe ſocietatem conſeruat: Nam cum ſinguli plurimis partim magis, partim minus neceſſariis indigeant, nummus ex abundantia aut indigentia maius aut minus preciũm rebus imponit, & hominum ſocietatem fouet & tuetur.*

Oppoſitum iuſtitiæ commutatiuæ eſt iniuſtitia cõmutatiua, quâ vel iniquum precium rebus imponitur vel minus pro rebus ſoluitur quam debebat, aut etiam quâ merces corrũpuntur, aut iniquæ menſuræ & pondera ad merces adhibentur.

Vita hominis Oceanus, Regina pecuniæ cymba eſt Nauigat infelix, qui caret huius ope.

Generalis canon de iniuſtitia iſte eſt: In diſtributione iniquâ iniuſtior eſt is, qui plus diſtribuit & dat, quàm qui plus accipit.

Ratio eſt: 1, quia initium iniuſtæ diſtributionis fit à diſtribuente, non ab accipiente. 2, quia voluntas iniquè diſtribuentis magis eſt libera quam accipientis: quia accipiens non tantum accipit, quantum ipſe vult, ſed quantum alter dat. 3, in diſtribuentis poteſtate eſt dare; atque idcirco cauſa eſt cur alter accipiat. Qui ergo de induſtria malè dat, plus peccat quã qui iniuſtè accipit. Et tantum etiam de Iuſtitia particulari.

CAP.

CAPVT. VI.

De Liberalitate & magnificentia.

PEr iustitiam id alteri dabamus quod debebamus: Sequitur virtus, per quam in alterum etiam id erogamus, quod ita stricto iure non debemus.

Ea virtus vel in genere consideratur, vel in specie.

In genere considerata, dicitur beneficentia, benignitas, χρηστότης, item officiositas & gratificandi studium, quo aliis libenter communicamus consilia, & præstamus officia nostra, neque inuidemus ipsis doctrinam nostram, aut alia dona, quibus ipsis possumus inseruire.

In specie dicitur liberalitas, quæ spectatur iterum dupliciter: vel in obiecto communi & laxiori, vel in obiecto strictiori.

Liberalitas in obiecto laxiori iterum consideratur vel absolutè, vel cum gradu eminentia.

Liberalitas absolutè considerata, est virtus seruans mediocritatem in dandis siue erogandis & accipiendis modicis sumptibus.

Aristoteles lib. 4. Ethic. cap. 1. tractat. de liberalitate, eamque sic definit, ἐλευθεριότης ἐστὶ μεσότης περὶ τὰ χρήματα, *Liberalitas est mediocritas circa pecunias*, id est circa opes, aut quiddam opibus analogum.

Obiectum ergo liberalitatis sunt τὰ χρήματα, *quo vocabulo intelliguntur* pecuniæ, *item omnes possessiones, quæ pecunia æstimantur, & quarum est aliquis vsus in hac vita.*

Id enim vult Aristoteles, cum dicit: χρήματα λέγεται πάντα ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται, *Chremata dicuntur omnia, quorum*

rum precium pecunia æstimatur.

Circa hoc obiectum liberalis versatur tum dando tum accipiendo: sed dare magis est dignum & proprium liberalis hominis, quam accipere.

Notum illud Saluatoris: *Beatius est dare, quam accipere*: quod axioma Arist. confirmat argumentis. 6. c. 1. libri quarti. Primum argumentum est, quia liberalis is est, qui bene vtitur diuitiis: vsus autem diuitiarum magis consistit in dando & faciendo, quam in accipiendo, aut custodiendo: nam accipere & custodire magis pertinet ad possessionem diuitiarum, quam ad vsum. Alterum argumentum est à genere: Quia virtutis magis est proprium benè honestéque agere, quam pati, dare autem est agere, accipere est pati. Reliqua argumenta videantur in textu.

In vtroque autem tam in dando, quam in accipiendo duo spectanda sunt: 1, Finis: 2, Modus.

Finis liberalis est sola honestas, idcirco qui dat aliis beneficium, vt vel maiora beneficia reportet, vel vt fauorem sibi conciliet, & paret promotionem ad honores, vel vt causam in iudicio obtineat, vel vt se ostentet: vel denique vt ab importunitate petentium liberetur, liberalis dicendus non est.

Modus dandi in genere est, vt demus ὀρθῶς, *i. rectè. itaque non satis est dare, sed videndum est quomodo des. Itaque obseruanda sunt in dando quinque ista*: 1, Persona: 2, Quantitas: 3, Qualitas. 4, Tempus: 5, Locus.

Persona consideratur vel dantis vel accipientis, siue persona liberalis consideratur vel quatenus est dans, vel quatenus est accipiens.

In persona dantis spectandum est inprimis propositum, i. animus quo aliquid datur: Debet enim liberalis dare ἡδέως καὶ ἀλύπως, *libenter & sine dolore.*

Scriptura vocat *hilarem datorem*, & dicit, quod talem datorem diligat Deus, quia ad Dei naturam accedit, qui quicquid dat creaturis, dat propensissimè.

Accipientem quoque personam considerare oportet, an sit digna nostris beneficiis, neque enim dandum est τοῖς τυχοῦσι, promiscuè & sine discrimine quibusuis, sed iis solum quibus oportet.

Pulchrè Seneca de prouidentia: *Beneficium dando accipit, qui digno dedit.*

Committitur enim circa accipientem error tam dando, quam non dando: Dando quidem, quando datum est indignis, non dando autem, quando non datum est dignis: qui error posterior maior est. Idcirco liberalis homo propter hunc errorem magis dolet, si nempe dignis non dedit, quam si indignis dedit.

Nihil potest esse iucundius & vtilius illa disputatione Arist. circa medium dicti cap. vbi agens de duplici errore, quē committere potest liberalis homo, nempe si vel det indignis vel non det dignis, concludit, maiorem esse errorem si non det dignis, quam si det indignis.

Egestas sæpe supplet dignitatem accipientis, nempe in liberalitate speciali, quæ circa eleemosynas versatur, vt suo loco audiemus.

Alterum, quod obseruari debet in dando, est tempus: Dandum enim est tempestiuè sine procrastinatione, idque propterea, vt dando magis possis prodesse.

Bis dat, qui cito dat, qui nil dat, mumera tardat. Et Græcè eleganter: ὀκεῖαι χάριτες γλυκεῖαι. *Veloces gratiæ sunt dulciores.* Seneca lib. 3. De benef. *Ingratum est beneficium quod inter manus dantis diu hæsit*: quod quis ægrè dimittere visus est, & sic durè, quasi sibi eriperetur, vnde concluditur illos *Preminummos* die Druckpfennige, non esse liberales.

De

De loco, in quo dandum est, dispici debet, vt ibi detur, vbi honestum est dare: Nam quæ honestatis gratia dantur, ea palam & loco publico dari possunt, quæ vero dantur ad subleuationem alterius egestatis, ea priuato loco & clam dari debent, ne accipienti rubborem incutiamus.

Et sic quidem de iis, quæ in dando obseruanda sunt: In accipiendo quatuor tenenda, quæ 4. Canonibus exprimemus ex ipso Aristotelis textu.

1 *Liberalis non est* λητικὸς, *pronus ad accipiendum, sed* προετικὸς, *proclinis ad largiendum, atque idcirco neque vult magnopere, neque potest adeo diteſcere homo liberalis, sed hoc tantum agit, vt habeat, vnde dare possit, atque adeo studet honestissimis tantum rationibus bona mediocria acquirere & parta conseruare, vt suos honestè alat, & aliis de proprio possit elargiri.*

2 *Liberalis non accipit ab eo, à quo non est accipiendum, quia non magni æstimat pecunias, sicut auarus qui à quouis accipit.*

3 *Liberalis nõ est* ἀπτικὸς, *non est petax quia semper magis cupit dare, quam accipere.*

4 *Liberalis accipit de suis prouentibus, quando vult liberalitatem exercere, non autem de alienis.*

Opponitur liberalitati in excessu ἀσωτία, *prodigalitas & profusio: In defectu verò illiberalitas seu auaritia,* ἀνελευθερία.

Profusio est vitium, quo in dando modus excedituꝛ, ita vt nec quantitas nec qualitas, nec persona, nec locus, nec tempus obseruetur.

A σωτία Græcis dicitur hoc vitium, quia qui eo laborat, seipsum hoc perdit, quasi dicas, non saluationem sui ipsius. Quia enim facultates sunt instrumenta sustentandæ vitæ, ideo prodigus sibiipsi facultates eripiens, vitam quodammodo eripit, sicut præclarè Aristoteles de Etymologia illa in textu monet.

Profusio autem duplex est: Simplex & aucta.

Simplex profusio est eorum, qui temerè facultates suas profundunt, nihil solliciti vt iterum aliquid accipiant, qualis prodigalitas plerunque est in adolescentibus & iuuenibus.

Profusio aucta seu coniuncta cum aliis vitiis est, quando non tantum temerè facultates profunduntur in voluptates illicitas, sed etiam cogitatur quomodo vicinis aliis suæ facultates suppilari possint, vt suppetat vnde profusionis habitus exerceri possit, & talis profusio coniuncta est cum furtis & rapinis.

Auaritia est vitium, quo in accipiendo modus exceditur, sine vllo respectu honestatis & iustitiæ.

Auaritiæ tria sunt genera. I, *eorum, qui dando solum deficiunt, i. non dant quibus dare debent, interim autem iniustè non accipiunt.*

Alterum genus auaritiæ est eorum, qui tantum in accipendo modum excedunt, & per fas & nefas congerunt, interim etiam dant aliis.

Hoc alterum genus auaritiæ etiam vocatur *Turpis lucri cupiditas*, & qui hoc genere sunt auari, dicuntur Græcis αἰσχροκερδεῖς, id est, turpis lucri cupidi. Quô referuntur infames fœneratores & vsurarii, item propolæ, & id genus alii.

Tertium genus auaritiæ est, quando in vtroque peccatur, atque adeo cum & in dando deficimus, & in accipiendo modum excedimus.

De hoc auaritiæ genere est Canon.

Auaritia, quæ peccat in dando simul & accipiendo, omnium est pessima; tum quia pecuniam ducit pro summo bono, tum quia valdè violat iustitiam commutatiuam: tum denique, quia qui hoc genere est auarus, non tantum in alios, sed in se quoque est pessimus, dum nempe & vitæ suæ necessaria detrahit & famæ decorum.

Cæterum duo ista extrema, nempe profusio & auaritia opponuntur liberalitati diuersimodè: Nam profusio opponitur liberalitati in excessu ratiõe δόσεως quoad actionem dandi: in defectu verò ratione λήψεως, quoad acceptionem: Contra auaritia opponitur liberalitati in excessu ratione acceptionis, in defectu vero quoad actionem dandi.

Auaritia deterior est Prodigalitate, idque propter has causas quas sequentes canones exprimunt.

1 *Auaritia plerunque est insanabilis, tum propterea, quia hoc vitium magis innatum est hominibus, quam prodigalitas, vnde & plures in mundo auari reperiuntur, quam prodigi: contra vero prodigalitas facilius potest sanari & corrigi: tum quia minus innata est naturæ, tum etiam quia deficientibus opibus, necessario cessat.*

2 *Auaritia propterea pessimum & difficulter sanabile vitium est, quia subinde cum ætate hominis crescit etiam tum, quando intemperantia & alia vitia decrescunt, atque adeo durat vsque ad mortem: cum contra prodigalitas plerunque in senectute decrescat: itaque videmus multos quotidie ex prodigalibus iuuenibus fieri auaros senes.*

3 *Propterea etiam peius vitium est auaritia, præsertim illa tertii generis, quia nihil habet commune cum liberalitate nec in dando, nec in accipiendo.*

4 *Auaritia etiam propterea magis est detestabilis: quia nemini est vtilis, ne quidem ei qui hoc vitio laborat: cum contra prodigalitas multis sæpè commodum afferat, si non honestum, saltem iucundum.*

Et sic de liberalitate absolutè considerata. Liberalitas considerata cũ gradu eminentiæ dicitur magnificentia: quæ est virtus seruans mediocritatem in magnis sumptib.

De hac virtute tractat Aristoteles libr.4. capite 2. vbi inquit: ἡ μεγαλοπρέπεια ἐστι δαπάνη ἐν μεγέθει πρέπουσα. *Magnificentia est virtus decorum seruans in magnis impensis.* Latinè ex titulo virtutis titulum dignitatis hodiè fecerunt, vt *magnificus* dicituris, qui nobilitatis & magistratus publici dignitatem maiorem gerit. Sed huius tituli fundamentum vt in aliis virtutibus, ita in hac quoque positum esse debebat.

Generales Canones de hac virtute sunt hi.

1 *Magnificentia differt à liberalitate, tum quia liberalitas versatur circa mediocres expensas, magnificentia autem non nisi circa magnas, vnde & nomẽ* magnifici *accepit: tum quia liberalitatis opus est dare & accipere, magnificentiæ autem actio vnica est, dare & magnos sumptus facere.*

Vnde & Græci hanc virtutem denominarunt, nempe ἀπὸ τοῦ μεγέθους καὶ τοῦ πρέποντος quia magnifici officium est scire & nosse quomodo magni sumptus decorè faciendi sint.

2 *Nemo ergo magnificus esse potest, qui non in dignitate est constitutus: nãetsi opibus honestè acquisitis*

sitis abundet, & non genere & dignitate ac virtute cæteris antecellat, non potest suis sumptibus decus ac splendorem addere. Idcirco nullus pauper est magnificus, nullus item plebeius, nullus denique qui ineptè sumptus facit & aliquid impendit in res viles.

Obiectum magnificentiæ sunt tum sumptus ipsi magni, tum magnorum sumptuum effecta atque opera.

De magnis sumptibus est hic canon; Magnificentia seruat decorum in sumptibus, tum nempe quando sumptus conueniunt isti personæ, à qua fiunt, & in istis operibus, in quæ fiunt: Neque enim statim magnificus est, qui magnos sumptus facit, sed oportet vt hi sumptus proportionem habeant cum persona & operibus, in quæ impenduntur.

De operibus tanquam altero magnificentiæ obiecto, est hic canon: Magnificus seruat decorum in operibus, quando nempe ea respondent sumptibus & impensis, atque adeo, quando sunt deducta ad suam perfectionem: Tunc enim quidlibet dicitur magnum, quando est qualitate & fine perfectum, etiamsi mole & quantitate sit paruum.

Opponitur magnificentiæ in excessu vitium, quod duobus nominibus denominatur ab Aristotele, nempe ἀπειροκαλία, & βαναυσία, *Latinè* luxus *dicitur, & est inepta atque inutilis magnorum sumptuum in res nec priuatim nec publicè vtiles profusio, quæ fit ostentationis causa.*

In defectu vero opponitur magnificentiæ μικροπρέπεια, *quod vitium Latini* sordes *vocant, & est*

indecora atque intempestiua parsimonia sumptuum in iis rebus, quæ ad statum honoris tuendum, & ad necessaria opera efficienda pertinent.

Sequitur liberalitas in specie: quæ est vel hospitalitas vel eleemosyna.

De his generalis Canon est; *Specialis hæc liberalitas non consistit in capiendo, sed tantum in dando.*

Hospitalitas est virtus, quâ alios, præsertim autem peregrinos, libenter tecto & mensâ nostra excipimus.

Partes hospitalitatis consistunt 1. *in excipiendo hospite, vbi adesse debet comitas.* 2. *in tractando hospite, vbi comitas & liberalitas simul: denique* 3, *in dimittendo, ne intempestiuè detineamus, neuè etiam manere cupientem molestè reijciamus.*

Præstantissima hospitalitas exercetur in exules, qui tecto & victu proprio carent.

Opponitur hospitalitati in defectu ἀξενία, *inhospitalitas; in excessu verò* πολυξενία, *quando promiscuè omnes excipimus, aut sæpius excipimus quam necesse est.*

Eleemosyna est virtus siue liberalitas specialis, qua egentes & pauperes per commiserationem victu, amictu & alijs rebus necessarijs subleuamus.

Ad Ethicam hæc virtus quoque pertinet, etiamsi ex Theologia peculiares causæ impellentes petantur, quæ nos ad hanc virtutem inflammare debent, vt est inprimis illa, quam Saluator indicat, cum dicit: *Pauperes suam in his terris personam sustinere, ita vt quicquid in hos fuerit erogatum, perinde habiturus sit, ac si in seipsum esset impensum.* Dicitur autem hæc virtus ἐλεημοσύνη, quod idem est quod *misericordia in pauperes.* Sed magis propriè significat tum actum ipsum dandi

paupe-

pauperibus, tum beneficium ipsum, quod datur. Et quamuis omnis liberalitas ex animo magis æstimetur, quam ex eo quod datur, tamen hæc species liberalitatis hoc maximè proprium habet, quod ferè plus pendeat ex animo quam munere. Id quod Saluator docet, proposito exemplo mulierculæ viduæ Lucæ 21. vers. 2.

Canon de eleemosyna est; *Indigentia supplet vicem dignitatis; itaq; etiam in indignos hæc virtus exerceri debet; hoc tamen discrimine, vt pauperes digni præferantur pauperibus indignis, si nempe vtrisque succurri non possit.*

Sic nempe in vita Aristoteles legimus, quod cum homini malo, sed extremè egenti eleemosynas dedisset, & propterea reprehensus esset tanquam qui canonem liberalitatis violasset; respondit φιλανθρώπως: Se eleemosynam dare, non ἀνθρώπῳ, sed ἀνθρωπότητι, i. non indiuiduo, sed sorti humanæ.

CAPVT VII.

De comitate & vrbanitate.

REstat virtus quæ consistit in conuersatione cum alijs hominibus, & quidem conuersatione vel seria, & dicitur comitas; vel iocosa, & dicitur vrbanitas.

Sic enim Aristoteles distinguit lib. 4. c. 8. sub finem, quod nempe virtus quæ in conuersatione versetur, spectet vel τὸ ἀληθὲς, verum, vel ἡδὺ, iucundum, idque iterum vel in seria, vel iocosa conuersatione.

Comitas est virtus, per quam in familiari conuersatione mediocritatem seruamus, alios facilè excipiendo, audiendo, cum ijs communicando, ita vt neminem offendamus, vel molesti alicui simus.

Vocatur

Vocatur ab Arist. φιλία. libr.4.c.6. non quod sit amicitia, sed quia valdè accommodata hæc virtus est ad amicitiam colendam. Vocatur etiam Græcis ἀνθρωποφιλία, item φιλοπροσηγορία, item χαριεντισμὸς, item Isocrat. τρόπος ὁμιλητικὸς: Latinis *humanitas, affabilitas*, & in hominibus Reip. præfectis, *popularitas*.

Partes eius duæ sunt, nempe facilitas, quâ facilem accessum ad nos aliis præbemus. 2, suauitas, per quam sine offensione & molestia cum aliis communicamus.

Requiritur ad comitatem lætitia aperta & hilaritas; ideo difficile est homini afflicto, ægro vel graviter occupato comem esse, & si talis sit comis, maiorem laudem obtinebit.

Cum comitate semper coniuncta debet esse grauitas, ne comitas in leuitatem degeneret.

Exemplo eius, de quo Cic. in Cat. Mai. *Erat in illo viro comitate condita grauitas.*

Requiritur ad comitatem etiam æquabilitas, quâ aliorum mores humaniter toleramus.

Pertinet etiam παραμυθία, *id est, consolatio & visitatio ægrotorum.*

Canones de officio viri comis hi suppeditantur ab Aristotele.

1 *Vir comis in quotidiana conuersatione debet habere rationem personarum, cum quibus versatur, nempe ne temerè cum omnibus versetur, & vt singulis pro dignitate tribuat, quod eis competit.*

Secundum illud Terent. *Vt homo est, ita morem geras.*

2 *Vir comis studere debet, ne offendat, sed potius oblectet, quantum potest, eum, cum quo conuersatur, nempe habita ratione & honestatis & vtilitatis.*

Ne scilicet nobis ipsis noceamus, dum volumus alteri gratificari

sificari; neue dum volumus alterum oblectare, talia ipsi narremus & communicemus, quæ erant tacenda.

3 *Si vir comis non possit honestè & vtiliter alicuius dicta & facta approbare, & videat ea ipsi aliquando allatura dedecus aut damnum, debet eum humaniter admonere, neque offensionem metuere.*

4 *Non pugnat ergo cum comitate libera reprehensio, sed potius eius est effectus; Nam quia comitas omnibus prodesse debet, & verò prodesse aliter non possumus errantibus, quam si eos admoneamus errorum, idcirco pars humanitatis est vera, modesta & libera reprehensio.*

5 *Vir comis non solum debet spectare præsentem voluptatem & molestiam, sed magis eam quæ secura sit; Quapropter si videat suam reprehensionem aliquando posse vtilitatem & voluptatem afferre ei, quem reprehendit, maiorem atque in præsentia est molestia, non debet eam omittere.*

Oppositum comitatis in excessu est ἀρέσκεια, *id est, studium placendi alijs, atque adeo alijs blandiendi; cum quo studio plerunque est coniuncta leuitas animi & corporis, & per consequens, contemptus eius, qui huic studio se tradidit; dum nempe & dictis & factis nimis studet placere illi, cum quo versatur.*

Canon de hoc vitio est; ἄρεσκοι, *siue studentes alijs placere, sunt valdè similes adulatoribus, sed in eo tamen differunt, quod adulatores studeant aliis placere commodi & quæstus gratia:* ἄρεσκοι *autem id faciant nullius commodi aut Quæstus*

gratia

gratia, sed tantum propter hoc ipsum, vt aliis se probent, siue aliis placeant.

Aristoteles sub finem c,6. hoc discrimen indicat inter adulatorem & arescum, quod arescus cupiat placere vt placeat; adulator autem non vt placeat, sed vt lucretur.

In defectu verò comitati opponitur δυσκολία, morositas, nempe vitium tale, quo ne in honestis quidem rebus placere aliis volumus, & præter rationem ac modum ab aliorum conuersatione abhorremus, eorumque facta & dicta improbamus & suggillamus.

VRBANITAS *sequitur, quæ est virtus, quâ mediocritatem seruamus in conuersatione iucunda, atque adeò quâ rectè tum iocamur, tum iocos aliorum ferimus.*

Dicitur *vrbanitas* Latinis ab *vrbe*, vtpote in qua homines iucundius quam in pagis conuersantur. Græci vocant ἀστειότητα, quod tamen vocabulum Paulus A. sumit pro opposito virtutis huius, nempe pro abusu iocorum & pro scurrilitate; idque propterea, quia Græci tempore Pauli eos vocabant ἀστείους, qui scurrilibus iocis alios oblectarent & risum captarent. Dicitur etiam hæc virtus εὐτροπία, quia qui ad hanc virtutem apti nati sunt, facilè possunt mores suos gestusque & sermones ita componere, vt aliis placeant.

Obiectum huius virtutis sunt ludi & ioci, circa quos iocos etiam virtus versatur, quatenus nimirum inde petenda est medicina & relaxatio animi ad res serias promptius obeundas.

Ludus & iocus non contrariatur virtuti, quatenus nempe animum ad virtutem instaurant; quia enim labor & occupatio valdè exhaurit spiritus vitales & exiccat cor; ideo si labores magni diu sunt tolerandi, opus est recreatione siue iucunda conuersatione, per quã cor dilatatur & spiritus vitales velut humectantur. Qua de re præclarè monet Philosophus 8. Pol. c.3. *Qui laborant, egent relaxatione & huius gratia est iocus*; Negotia enim coniuncta sunt cũ labore & conatu, & propterea

oportet

oportet iocum adhibere, qui tanquam medicinam eo tempore afferat. Et addit deinde: *Oportet non tantum rectè laborare posse, sed etiam ociari:* Et Cic. 1. Offic. *Neque enim ita generati à natura sumus, vt ad ludum & iocum facti esse videamur, sed ad seueritatem potius & ad quædam studia grauiora & maiora; Ludo autem & ioco vti illis quidem licet, sed sicut somno & quiete, tum quando grauioribus & seuerioribus rebus satisfecerimus.* Idcirco de Cæsare, dicit ibidem, quod in eo multus lepos fuerit tam naturâ, quàm de industriâ.

Ioci autem circa quos hæc virtus versatur tales esse debent, vt non tantum oblectent audiẽtes; sed etiam erudiant, atque adeo sint honesti, liberales, conuenientes locis, personis, & temporibus, atque adeo habentes sal sapientiæ. Contra vero abstinendum ab illis iocis, qui sunt inhonesti, obscœni, illiberales, ineruditi, inque alios contumelioſi, quique possint facilè præbere ansam rixis, & contentionibus.

Distinguitur vrbanitas in partes, quod sit vel actiua vel passiua: id est, quod consistat in iocis vel exercendis, vel ferendis, si in nos dicantur.

Sic Cicero in oratione pro Planc, refert illud Caton. quod magnorum virorum non tantum negotii, sed etiam otii ratio constare debeat; atque adeo quod debeant dare operam, vt cum volunt otiari, vtramque partem vrbanitas rectè consiederent & obeant.

Canones de vrbanitate rectè obeunda sunt hi.

1 *Cum non quilibet naturâ aptus sit ad iocandum, & cum vt Aristoteles 3. Rhetor. cap. 12. inquit, iocandum sit πεφυκότως, id est, naturali quadam gratiâ, non coactè, non affectatè, ideo nec quilibet operam dare debet vt iocetur siue iocos ex tempore fingat: sed debet legere iucundas historias aliorum, & eas in communi conuersatione pro iocis narrare.*

2 *Non etiam nimis multi & frequentes iocis spar-*

spargendi sunt, quia ioci si nimis multi sint, amittunt gratiam, sicut mel si nimium comedas.

3 *Inter iocandum non temerè dicteria in alios spargamus, imo nunquam iocemur in alios, nisi bono fine & animo, non vero vt eos perstringamus, aut in contemptum adducamus.*

Veteres dixerunt duplicem esse salem, nempe *Mercurii & Momi*; & salem quidem Mercurii appellarunt *facetias lepidas*, quibus nempe non nocemus aliis: *Salem* autem *Momi* vocarunt dicteria, quibus mordicamus alios, non secus ac sal, si sit nimis vehemens rodit & mordet, non vero condit. Vtendum itaque est sale Mercurii, id est talibus facetiis, quæ habent aliquid arguti, sapidi, & quæ alios non mordeant, sed condiant.

Opponitur vrbanitati in excessu scurrilitas, βωμολοχία: *in defectu verò rusticitas,* ἀγροικία, & ἀγριότης.

Scurrilitas est vitium, quo in iocando modum excedimus, nullâ habitâ ratione honestatis aut pietatis, nec rerum, de quibus loquimur, nec loci, temporis, aut personarum.

De scurrilitate obseruanda sunt hæc monita.

1 *Maxima scurrilitas est iocos captare ex rebus diuinis, aut in rebus diuinis.*

Hoc monitum petitur ex ipsa voce, quâ Aristoteles in hoc vitio significando vtitur. Vocat enim βωμολοχίαν, q. d. *latentiam post aras* aut *insidias post aras.* Nam βωμολόχοι dicebantur leuissimi homines, qui aras sectabantur, vt in Deorum sacrificiis post peracta sacra populum oblectarent gestu, vel voce, atque ita ex sacrificiorum reliquiis ventres saginarent, die Opffernarzen.

2 *Inter Scurras pertinent etiam ii, qui Græcis vocantur* γελωτοποιοὶ. *id est captatores risus, quorum ista vnica est professio, vt risu in cõuiuiis moueant; quales sunt moriones in aulis* die Hoff vnd Tischnarzen.

3 *Scur-*

3 *Scurræ etiam sunt, qui ex rebus obscœnis risum captant, quia tales res natura voluit latere, non vero in hominũ cœtu proferri, itaque non captant tales iucunditatem ex honesto, quod veri vrbani faciũt* **die garstigen vnflatigen Narzen.**

4 *Scurræ etiam sunt, qui gratiam aut risum aliorum captant ex sarcasmis, siue scommatibus & dicteriis, quæ in alios eiaculantur temerè & malo fine, eosque irrident cum offensione & petulantibus ac procacibus mycterismis.*

Ibys auis Ægyptiaca immisso in podicem rostro, effusaque ex rostro aqua, aluum purgat (vnde & clysterum vsus monstratus fuit) cui aui perquam simillimi sunt hi scurræ, qui risum captant ex obscœnis, inhonestis, turpibus, & talibus dictis, quibus aliorum fama & existimatio lædituꝛ, **die Schandnarzen vnd Schandgaste**. Hi enim dum inhonesta eructant, podicem ex ore faciunt.

Rusticitas est vitium, cum nec ipsi iocos honestos mouere possumus, nec aliorum iocos perferre & pati: atque adeo quãdo tempore lætitiæ & recreationis nec vultu, nec verbis hilaritatem testamur, sed velut morosi Catones frontem ducimus ac corrugamus.

Græcis eleganter vocatur ἀγροικία, q. dicas, *agrestitas*; Sicut enim illi, qui in agro semper viuunt, moribus sunt absurdis, ita quoque hi, qui tali vitio laborant.

De rusticitate monitum est, Quod ii qui hoc vitio laborant, sint planè inepti ad iucũdas conuersationes: idcirco nec ad conuiuia ire debent, nec inuitari, tanquam qui sint insulsi & immunes à Mercurii sale.

CAPVT. VIII.

De mansuetudine.

SVpersunt virtutes quæ partim ad alios, siue valdè ad alios, sed interim etiam ad nos ipsos pertinent,

quæ

quæque sic ad alios pertinent, vt nostrum quoque affectum gubernent, & nobis valdè conducant.

Talis virtus vel ad internos magis affectus pertinet, vel magis ad externum sermonem & gestum.

Ad internos affectus magis pertinet tum mansuetudo, tum φιλησυχία, *studium trãquillitatis & concordiæ.*

Mansuetudo est virtus, quæ mediocritatem seruat in irascendo, atque adeo in vindicando & puniendo.

Tractat de hac Aristoteles libro 4. capite 5. & vocatur ei πραότης, & definitur quod sit μεσότης περὶ ὀργὰς, *mediocritas circa iras*. Latinis etiam *placiditas* vocatur. Cicer. *placabilitas*, item *clementia*. 1. Officior: quamuis clementia virtus politica magis sit, & Regum ac Principum propria.

Obiectum mansuetudinis est vel immediatum, vel mediatum.

Immediatum obiectum est affectus iræ, siue ira vehementior, quæ iracundia *dicitur.*

Cum ergo ira vehemens sit sæua bestia, furor breuis in certis naturis præsertim, idcirco ex arduo obiecto ardua hæc virtus æstimabitur.

Ira cum sit affectus, ideo absolutè considerata, non est per se mala, vtpote quæ etiam Deo tribuitur & in sacris literis præcipitur, & sine qua humana societas regi & administrari neutiquam potest, vt infra audiemus. Idcirco dicimus eam iram egere moderatione, quæ terminos egreditur.

Mediatum obiectum mansuetudinis est, offensio, iniuria, damnum, potissimè autem ὀλιγωρία, *id est, contemptus nostri & ignominia illata.*

Nihil enim est quod magis iram prouocet, quam contemptus nostri & nostrorum, sicut Arist. 2. Rhet. c. 2. Iram definit, *quod sit affectus, qui oritur ex ignominia:* Idcirco damnũ multo leuius ferre solemus, quam contemptum: Quapropter

ter is, qui tum iram refrenat, quando contemnitur, is maximè omnium est mansuetus.

Canones de mansuetudine sunt hi:

1 *Inprimis cauendum est, ne abripiamur vehementi feruore & primo impetu iræ.*

Et ratio est, quia primus impetus omnium minimè est in nostra potestate, sicut dicitur: *Primi motus non sunt nostri iuris.* Idcirco Plato hoc vnicè studebat, ne quicquam faceret in primo iræ feruore: Et cum seruum aliquando iratus verberare vellet, retrahens se dixit: *Vapulares nisi iratus essem.* Et Athenodorus Philosophus inter alia præcepta etiam hoc dabat Augusto Cæsari: *Cæsar, cum fueris iratus, ne quicquam dixeris vel feceris priusquam literarum Græcarum 24. nomina apud te recensueris.* Hinc Statius Poeta lib. 8.

Ne frena animo permitte calenti.
Da spatium, tenuemque moram, mala cuncta ministrat
Impetus, &c.

Cuius rei rationem videtur voluisse reddere Ouid. lib. 1. De art. amand,

Vt fragilis glacies interit ira morâ.

2 *Quando iam ira exarsimus, cauendum est, ne eo vsque abripiamur, vt committamus aliquid, quod sit vel contra honestatem, vel vtilitatem nostrã, atque adeo cuius nos postea pœniteat.*

3 *Quando incanduimus, cauendum est ne maneamus implacabiles, sed vt honestis rationibus locũ demus & de ira remittamus.*

4 *Non irascendum est propter leues causas, sed tantum propter graues & arduas, pertinentes ad honorem nostrum eiusque defensionem, itemque defensionem legum, patriæ, & cultus diuini.*

5 *Non irascendum etiam est omnibus: non iis sanè, qui per imprudentiam peccarunt & nos offenderunt, nec iis qui culpam deprecantur & veniam pe-*

tunt: sed malis, improbis, & quos suorum scelerum non pœnitet.

6 *Tempus etiam considerandum est,* ὅτε καὶ ὅσον χρόνον, *quando & quamdiu sit irascendum, neque enim semper, neque perpetuò est irascendum.*

7 *Non est irascendum in seriis consultationibus seu colloquiis de grauibus reb. neque tempore lætitiæ & recreationis, neque etiam nimis tardè irascendũ est in grauibus & manifestis delictis, neque nimis cito in delictis non satis cognitis.*

8 *Neque etiam diu ira fouenda est, ne in odium degeneret: nam odium est ira tempore corroborata.*

Aristoteles solitus est dicere: *Inconueniens est vt cum homo sit mortalis, quod immortalem iram gerat.* Idcirco Paulus Apostolus, ad Ephes. 4 vult vt iram nostram dimetiamur ad solis motum, vtque tam velociter ira decurrat, quam sol decurrit: *Ne occidat,* inquit, *sol super iram vestram.* Quod dictum Apostolus velut ex ore Christi habet, vtpote qui Lucæ 17. toties dimittendam iram dixit, quoties à proximo offendimur.

9 *Quando placati semel sumus, oportet etiam oblíuisci causæ irritatricis, quæ iram prouocauit: nã aliàs recurrente causa, semper recurret effectus.*

Hic canon pertinet ad refutandum illud vulgatum dicterium: **Ich wils ihm wol vergeben, aber vergessen kan ichs nicht.** Quasi vero ira possit cessare, non cessante causa prouocante iram.

Oppositum mansuetudinis in defectu ἀοργησία, *iræ vacuitas & lentitudo, vitium per quod ne quidem in necessaria & iusta causa nos patimur ad iram permoueri.*

Canones de hoc vitio sunt.

1 *Lentitudo est vitium valdè noxium tum vti-*

litati

litati publicæ, tum etiam illi ipsi qui eo laborat.

2 *Illi ipsi, qui laborat eo vitio noxium est, quia illilenti habentur pro fatuis, qui tanquam lapides non sentiunt iniurias sibi illatas: deinde quia tales sunt* ἀνθρωποδώδεις *h.e. mancipia, & seruili atque abiecto animo præditi, qui suæ famæ & existimationis nullam ducunt rationem, atque adeo inter honestum & turpe nullum discrimen faciunt: denique* 3. *quia tales homines sunt inepti ad res agendas.*

3 *Publico autem bono nocet lentitudo, quia nec mandata seuera proponi possunt sine zelo (zelus autẽ est ira quædam) nec potest fieri legum executio: itaque lentitudo penitus pugnat cum iustitia distributiua, & cum salute OEconomiæ & Reipub.*

Et hoc est quod Arist. 7. Polit. c. 7. dicit ὀργὴν esse τῶν ἀρχόντων. Iram esse rem necessariam imperantibus. & fuit in schola Peripatetica celebre prouerbium: *Iram esse cotem fortitudinis.*

In excessu mansuetudini opponitur Iracundia, quâ præter modum in causis non adeò iustis & magnis iracimur.

Species iracundiæ tres sunt: 1, ἐστὶ ἀκροχολία, *excandescentia.* 2, πικρότης, *amarulentia.* 3, βαρυθυμία, *asperitas animi, seu crudelitas.*

Ἀκροχολία, *siue excandescentia, est vitium quando subito & apertè ob causam leuiorem iracimur, & quidem iracimur vehementius quam oportebat: sed ita vt iram cito iterum deponamus, & nos placari patiamur.*

Canon de incandescentia traditur: *Quod ii qui facile ob lenem causam iracuntur, non sint accepti in conuersatione hominum, etsi quidem non sint ita planè odiosi, vt qui duabus aliis speciebus*

iracundiæ laborant.

Πικρότης, *siue amarulẽtia, est iracundia, qua tardius quidem iraſcimur, ſed iram occultè fouemus, cum ſemel animo concepta eſt, & fouemus tamdiu, donec vel vindictam exercuerimus, vel temporis diuturnitate iram concoxerimus.*

Pertinet ergo huc vindictæ cupiditas, quæ non facilè ſedatur, niſi vltionem exercuerimus, quæ vltio ſedat iram: quia dolore ſublato, voluptatem affert.

Canones de hac ſpecie iracundiæ ſunt.

1 *Qui laborant cupiditate vindictæ, grauiſſ. onus ſuſtinent, præſertim cum occultè iram foueant, & nolint hanc eſſe aliis notam: vnde fit, vt nemo eos leniat, aut ad placabilitatem rationibus adducere poſſit.*

2 *Itaque tales homines moleſtiſſimi ſunt tum ſibi ipſis, tum aliis quoque amiciſſimis, præſertim cum ad iram concoquendam longo tempore opus ſit, ita vt diu eos oporteat cum eiuſmodi moleſtia corporis conflictari.*

Tertia ſpecies iracundiæ eſt Βαρυθυμία, *aſperitas aut crudelitas, quæ eſt iracundia primò aperta, ſecundò pertinax, tertiò talis quæ abſque vindicta nullo modo ſedari poſſit.*

Talis iracundia eſt in Italicis naturis: Nam hæ & apertè iraſcuntur, ac pollicem mordent, & iram tamdiu fouent, dum animum vindictâ expleant.

Canon generalis comparans iracundiam cum lentitudine eſt: Iracundia manſuetudini magis eſt contraria quam lentitudo, & idcirco etiam deterior, præſertim cũ frequentius circa eam peccetur, quam lentitudinem: Et deinde, quia iracundia minus eſt accommodata

commodata ad vitæ ſocietatem & conſuetudinem quam lentitudo: Cum hominibus enim iracundis, qui vel cito & ob leuem cauſam, vel amarulenter & crudeliter iraſcuntur, nemo libenter conuerſatur.

Intelligendus eſt hic canon de hominibus priuatis: nam in hominibus, qui in magiſtratu conſtituti ſunt, nimia lentitudo plus nocuit, quam aliqua iracundia.

Sequitur φιλησυχία ſtudium tranquillitatis, quod eſt virtus, per quam quis cupit quietè & tranquillè viuere, atque ita alios non offendere, nec ab aliis offendi, atque adeo ſua tractare, & ea quidem quam pauciſſima, ſuperuacaneas autem & alienas occupationes non accerſere.

Canon eſt: *Differt ſtudium tranquillitatis ſiue concordiæ & coniunctionis ab amicitia, quia in hac virtute tantum generaliſſ: unio noſtri cum aliis ſpectatur, quæ eſt in non offendendo: In amicitia autem ſpectatur, ſpecialiſſima unio & arcta & quotidiana.*

Opponitur huic virtuti vitium vitæ turbulentæ, quâ nempe & multos offendimus, & à multis offendimur, dum dempe multis nos immiſcemus vel perſonis vel rebus.

CAPVT IX.

De Veritate ſeu Veracitate & Taciturnitate.

VEritas ſeu Veracitas *nunc ſequitur explicanda, quæ eſt prima virtus inter eas quas ſupra diximus ſitas eſſe non tantum in interno affectu, ſed etiam in externo ſigno.*

Eſt autem veritas, ſeu veracitas virtus, quâ ſtudemus, vt oratio, geſtus & omnis vitæ noſtræ actio

conueniat cum mentis nostræ sententia, cum voluntate & affectu nostro, atque adeo, per quam ita agimus & loquimur, vt sentimus & affecti sumus, nihil addendo, nihil detrahendo, aut noxiè dissimulando.

Vocatur etiam *sinceritas, integritas, candor*, & tractat quidem Arist. de hac virtute lib. 4. c. 7. sed ita, vt nullum certum nomen ei tribuat, vocari autē Græcè potest ἀλήθεια, quæ vox est ab α priuat. & λαθεῖν *latere* q.d. *non latentia*. Monemus autem breuiter veritatis vocabulum in Philosophia dupliciter vsurpari: nempe theoreticè & practicè: ita vt interdum vocabulum veritatis sumatur pro affectione entis, quâ ens est, siue pro conuenientia rei cuiusuis, cum conceptibus mentis diuinæ & secum ipsa, simulque adeo pro conuenientia nostrarum cogitationum & propositionum cū rebus, de quibus cogitamus, & de quibus aliquid affirmamus aut negamus, & sic veritatis doctrina ad Metaphys. pertinet, & est quidam finis artis Logicæ. Practicè autem accipitur veritas pro habitu virtutis, per quem ita voluntatem nostram & ex voluntate promanantes sermones, gestus, & actiones omnes ita moderamur, vt sermo, gestus & actio habeant in se imaginem & similitudinem cogitationum, volitionum, & affectuum nostrorum.

Obiectum ergo veracitatis est cum res ipsa, de qua aliquid significandum est, tum sermo, vultus, gestus, & omnis vitæ actio, tanquam signa, per quæ aliquid significamus.

Canones de veracitate sunt hi.

1 *Veracitatis officium, est: vt* 1, *significetur simpliciter quod res sit, vel non:* 2, *vt significetur etiam gradus rei legitimus, quod res tanta sit vel non sit, atque adeo ne significemus maius quam est, aut minus quam est.*

Potest enim esse aliquid verum absolutè, quod non

est

est verum cum gradu, vt cum aliquis est doctus, & tamẽ non est excellenter doctus, & interim tu dicis eum esse excellenter doctum, non mentiris quidem absolutè, sed mentiris quoad gradum.

2 *Omnis verax est* ἐπιεικὴς, *id est, iustus & æquus, qui nullo respectu priuati sui commodi, sed solius virtutis, nempe veracitatis amore, id de qualibet re affirmat, quod sua natura est, nihil addens, nihil etiam detrahens.*

Hic Canon est in textu.

3 *Verax est* ἀυθέντης &. *id est, in singulis dictis & factis sibi similis, & constans sibi perpetuo tum in sermone, sed etiam in vita, atque adeo nihil in aliorum gratiam fingens aut simulans.*

4 *Verax est* ἑλαττωτικὸς, *id est, talis qui mauult sua extenuare, quam amplificare; extenuatio habet significationem modestiæ, amplificatio autem coniuncta est cum iniustitia; quo enim quis maiora sibi tribuit, eô plura aliis detrahit.*

Hic Canon etiam est in textu Aristotelis.

5 *Veracitas dirigitur à prudentia atque adeo ita veraces esse debemus, vt simul etiam simus prudentes.*

Inter maximè omnium difficiles quæstiones Ethicas mihi semper visa est illa, quâ disputatur de conciliatione veritatis apertæ cum prudentia. Nam quia Saluator noster Mat. 5. præcipit: *Sermo vester sit, Est, est, Non, non*, id est, sermo vester apertè affirmet vel neget; & quia Apost. ad Eph. 4. dicit: *Deposito omni mendacio, loquamini veritatem quisque cum proximo suo*, ideo videtur nullam esse habendam rationem circumstantiarum loci, temporis aut personarum; sed planiss. & liquidissimè verũ vbiq;, semper, & apud quosuis esse dicendum, siue significandũ non tantũ sermone, sed etiã vultu, gestu, & omnibus actionibus totius vitæ. Contra verò

quia idem Saluator dicit: *Estote prudentes sicut serpentes*: Item *Nolite obijcere gemmas porcis*: Item, quia ipse Saluator non semper eodem modo egit cum suis aduersariis, neque ijs semper æquè directè respondit, vt nec Apostoli fecerunt; concluditur, secundum quid intelligendum id esse, quod sermo noster vbique & omni loco debeat esse liquidus & apertus, & esse obseruandas certas regulas, quibus veritatem non tantum dicamus, sed etiam prudenter dicamus, sic tamen ne veritatem violemus; quas prudentiæ in veritate dicenda Regulas optarim esse ab Ethicis expressius determinatas: interim ex prudentiæ cum veritate collatione & conciliatione, ipse paucas aliquot subiiciam.

6 *Non tenemur semper omne verum dicere, si maximè teneamur partem veri dicere.*

Sunt multi tales casus, in quibus prudentia dictitat, non statim omne verum esse dicendum, etiamsi vitandi mendacii causa aliquam partem veri dicamus. Exemplum iam aliud non occurrit, præterquam id quod est in vita Athanasii. Cum enim Athanasius fugeret Arrianorum tyrannidem, & quidem fugeret nauiculâ secundo flumine & plenis velis vecta, & Arriani eum essent insecuti, iamque propriè assecuti, diuinitus factum est vt cymba se obuerteret: & cum antea secundo flumine veheretur, conuersa aduersa obuiam iret hostibus insequentibus: hostes non existimantes fieri posse, vt ea cymba, quâ Athanasius veheretur, obuiam ipsis veniret, compellantes Athanasium in ea cymba sedentem, quæsiuerunt ex eo: *Nunquid hîc vidisti Athanasium præteruectum?* respondit Athanasius; *Modo huc ibat*: Hîc Athanasius verum dixit, sed non dixit omne verum, nempe quod huc quoque rediisset, & præterueheretur. Vbi sanè fuisset magnæ imprudentiæ, imo & iniustitiæ in semetipsum, si dixisset omne verum, & addidisset: *Non tantum huc ibat Athanasius, sed etiam nunc huc rediit.* Versutius autem illud fuit, quod legitur in vita Francisci, qui cum fortè in campo deambularet, & furem fugientem obuium haberet, siuit eum præterfugere. Insecuti lictores quærebant ex Francisco: Nunquid furem hac fugientẽ vidisset: Franciscus habens laxas manicas, immissa manu dextra in sinistrã manicã: *Hac*, inquit, *non iuit.*

7 *In*

7 *In veritate dicenda non ſunt violandæ leges taciturnitatis, quia taciturnitas æquè eſt virtus ac veritas, vt paulò poſt audiemus: Quare non tenemur verum illud dicere, ad quod tacendum vel per conſcientiam, vel per leges obligati ſumus.*

Vt ſi quis ex Conſiliario aut Senatore quærat, *An non hoc vel illud in Senatu hodie ſit decretum*, non tenetur ei Conſiliarius verum dicere, quia pugnaret iſta veritas cum conſcientia & taciturnitate, atque adeo etiam cum iuramento Conſiliarii & denique cum bono publico.

8 *Quare tum verũ dicendum eſt, quando ad id dicendum obligamur, & in eare, ad quam dicendã obligamur, item ad eos, quibus verũ dicere obligamur.*

Certum eſt non omnibus nos teneri & obligari ad dicendum verum, vt patuit antea exemplo curioſi quærentis ex Conſiliario, vtrum non hoc vel illud eſſet decretum. Ita non tenemur hoſtibus detegere noſtra conſilia & ſtratagemata: Neque tenemur hominibus ebriis & furioſis rationem reddere fidei noſtræ; quia hoc foret gemmas proiicere ante porcos; contra verò tenemur confeſſionem fidei noſtræ apertè proferre coram iis omnibus, qui id legitimo modo à nobis poſtulant.

9 *Cum iniuriæ & ignominiæ nobis illatæ diſſimulantur, cum item magiſtratus diſſimulat quædam ſubditorum ſcelera, quæ per neceſſitatem temporis punire non poteſt; non repugnat id veritati, ſed illud potius eſt patientiæ, hoc verò prudentiæ.*

Atque adeo etiam veritati non repugnabit, ſi quis ciuiliter conuerſetur cum homine impio & malo; quem temporis neceſſitas nondum ſinit ad pœnas trahere. Loquor autem non de conſortio, quaſi quis debeat familiariter cum iſtis conuerſari, ſed ſi fortè aliquando per circumſtantias loci & temporis in tales homines nobis ſit incidendum, prudentia ſuadet, quod pacis publicæ cauſa, externis geſtibus & morum ciuilitate tales vtcunque honoremus: nam veracitas cum pace publica non pugnat.

10 *Aliud est diuersum quid dicere à veritate, & aliud contrarium veritati dicere: Itaq; fit sæpè, vt non dicamus verum, & tamen etiam non dicamus mendacium; quando nempe vel diuersum quid respondetur ab eo, quod quæritur, vel indirectum quid respondetur. Etsi enim veritas odit omnes perplexitates & ambiguitates, tum nempe, quando eam tenemur apertè dicere, tamen quando eam non tenemur apertè & directè dicere, non statim oritur mendacium, si ambiguè aut indirectè respondeamus.*

Verum quidem id est, ambiguam orationem æquiparari falsæ, idcirco naturæ veraces & candidæ ambiguitates & amphibolias ægerrimè ferunt: cuius rei exemplum legimus in vita Melanth. quam describens Camer. diligenter annotat, quod Melanth. nullas ambiguas locutiones ne in familiaribus quidem colloquiis ferre potuerit; sed vehementissimè excanduerit aduersus eos qui iis vterentur. Interim quando non tenemur veritatem alicui dicere apertam, & tamen nolumus mentiri, præstat diuersum quid à veritate dicere, quam contrarium, atque adeò potius ambiguè vel indirectè iis respondere, quam falsa dicere; siquidem rotunda, nuda aperta & directa veritas, in pluribus casibus & cum prudentia & cum taciturnitate pugnat.

Veracitati opponitur mendacium, quod consideratur vel in genere vel in specie.

Oppositum veritatis in genere est vitium, quo verbis, gestibus & actionibus significamus aliquid contrarium illi, quod est in mente, voluntate & affectu nostro; tum nempe quando obligamur illud significare.

Canones generales & monita de mendacio sunt hi.

1 *Etsi omne falsum, quatenus falsum, depriuat intellectum hominis, sicut verum perficit, tamen*

aliud

aliud est falsum dicere, *aliud* mentiri; *neque statim omnis, qui falsa dicit, mentitur; quia falsitas rem ipsam respicit, mentiri autem respicit propositum voluntatis virtuti morali contrarium.*

Pulchrè Scal, monstrat discrimen id quod in Canone diximus inter falsum dicere & mentiri, Exerc. 2. vbi inquit: *Non enim falsum dicit, qui se verum putat dicere, etiamsi falsum dicat.* e. g. si quis noua, quæ ab aliis scripta & nunciata sunt, aliis quoque narret & putet esse vera, cum tamen sint falsa, is quidem falsa dicit, sed tamen propterea non mentitur.

Alii nonnulli autores etiam subtilius distingunt inter *mendacium dicere, & mentiri*; aiuntque virum probum posse etiam mendacium dicere, mentiri autem non posse nisi improbum, ita vt mendacium dicere, illis idem sit ac falsum dicere sine proposito voluntatis: sed hoc tamen mihi videtur esse contra naturam coniugatorum, cum mendacium à mentiendo dicatur. Porrò, vtrum mentiri dicatur, quasi *contra mentem suam ire*, relinquo disceptandum Grammaticis. Valla aliquis diceret, non magis hanc esse veram Etymologiam, quam cum testamentum dicitur, q. *testatio mentis*; & foret vtique *mentatio*, non *mendacium* dicendum, si à mente deriuaretur.

2 *Si mendacium officiosum, quod vocant, sumatur ita, vt idem sit, ac non dicere omne verum, vel non dicere illis, quibus non obligaris, atque adeo si diuersitas quædam apertæ veritatis, non autem contrarietas & pugna intelligitur, dici potest,* mendacium officiosum *veniã & excusationem mereri: Si autem sumatur, prout vocabulum sonat, pro contrario & pugnante veritati, quando nempe contra veritatem loquimur boni siue publici siue priuati causa, non video quomodo mendacium officiosum possit concedi; siquidem vitia per se nihil boni efficiunt, atq; adeo nec bonũ publicum sua natura procurant, ita*

vt

vt contradictio videatur esse in adiecto, si quis dicat, se boni publici causa mentiri.

Difficilis est quæstio apud Ethicos & Theologos, *An mendacium officiosum sit licitum*: Quam quæstionem vt existimo, canon non obscurè determinat, sed interim possunt legi aliorum prolixiores de ea quæstione tractationes, præsertim autem Augustini, qui multa de mendacio officioso subinde monet, item Dan. in Ethic. P. Martyr in locis communibus, Aretius in Problem. Alb. Gentilis I C. De abusu mendacii. Inter recentes Ethicos video esse, qui ita de hac re tradant, Mendacium nonnunquam consequendi maioris boni causa veniam mereri: Item, simulatio & dissimulatio, quando non fit odiosè & nocendi causa, sed vt alii qui apertã veritatem ferre non possunt, iuuentur, vel ipsi ab insidiis aliorum possimus esse tutiores, meretur excusationem: Item mendacium mentiendi libidine & consilio susceptum per se quidem est vituperandum, sed tamen excusatione dignum, & fortè etiam laude, respectu maioris boni quod inde prouenit. Id quod nonnulli *officiosum mendacium*, vocant. Et Plato scribit, *Licere viro bono Reip. causa mentiri.* Sed hoc Platonis dictum vt & reliqua, quæ iam recensui, non possunt probari per omnia propter causam in canone traditam; quod nempe sicut virtus est licita, ita omne virtuti oppositum sit illicitum & malum, ex quo bonum promanare non possit: nisi fortè improprie mendacium officiosum sumatur pro temperamento veritatis ad prudentiam & taciturnitatem, atque adeo non pro contrario veritatis, sed vel pro limitatione eius ad certas circumstantias, vel pro diuerso.

3 *Mendacium committitur dupliciter.* 1. *dicendo id quod non est esse, aut quod est, non esse.* 2. *quoad gradum rei, si id quod minus est dicamus esse maius, & id quod maius est dicamus esse minus.*

4 *Pertinet ergo ad mendacium simulatio & dissimulatio: quia simulatio est mendax affirmatio, dissimulatio autem est mendax negatio; & qui plus dicit*

dicit quam reuera est, simulat: qui autem minus dicit, quam reuera est, is dissimulat.

In specie veritati opponitur quoad excessum ἀλαζονεία, *arrogantia: quoad defectum verò,* εἰρωνεία, *quæ Latinè verti solet* dissimulatio.

Ἀλαζωνεία, *siue arrogantia est mendacium, quo nobis plus arrogamus & tribuimus quã reuera possidemus.*

Dicitur etiam iactantia, vanitas, & ostentatio, quod vitium opponitur etiam humilitati & est species superbiæ; nam vnũ vitium sæpè diuersis virtutibus opponitur.

Canon de arrogantia est: Arrrogantia siue mendacium in excessu, quatenus non ad nos ipsos, sed etiam ad alios refertur, dicitur adulatio, *per quã aliis plus tribuimus quam reuera habent, itaque omnis adulator est mendax.*

Arrogantia duplex est, atque adeo duplices sunt arrogantes: Quidam enim ex sola vanitate seipsos vel alios efferunt & iactitant, cum nihil commodi inde sperare possint: quidam verò faciunt id lucri & commodi siue etiam laudis & gloriæ causa, & hi posteriores sunt deteriores prioribus.

Ironia est mendacium, quo ea, quæ nobis aut aliis reuera insunt, vel negamus planè inesse, vel etiam extenuamus nimis.

Ironia & Irones sunt duplices: Quidam enim dissimulant, aut etiam extenuant ea que alii nesciunt, vtrum ipsis insint, aut quo gradu insint: idq; faciunt, vt ne videantur arrogantes aut se aliis præferre: quidam verò extenuant & dissimulant sua, quæ ipsis cõpertum est inesse, vt propter hanc dissimulationem laudentur tanquã modesti & humiles: & hi posteriores sũt pessimi, & vocantur Græcis βαυκαλαυξεργοι, versi-

pelles

pelles & veteratores.

Canon de comparatione inter arrogantiam & Ironiam est hic: Arrogantia magis pugnat cum veracitate quam ironia, atque adeo est deterior: tum quia magis repugnat iustitiæ: dum enim nimium tibi tribuis, plurimum aliis detrahis: tum etiam quia magis aduersatur arrogantia conuersationi iucundæ, quamuis sanè in conuersatione etiam molestissimè feramus Irones & dissimulatores.

Sequitur altera virtus magis externa, nempe TACITVRNITAS, *per quam nempe ea tantum loquimur, quæ loquenda sunt, quæ præsenti loco, tempori & personis accõmodata sunt, & per quam adeo nec plus loquimur quam decet, nec minus, & per quã denique tacemus secreta.*

Sunt ergo 4. partes taciturnitatis & 4. officia. 1. loqui ea quæ decet. 2, loqui accommadata rebus, personis, loco & tempori. 3, non plus loqui quam decet. 4. tacere secreta, & ea quæ te promisisti non euulgaturũ.

Taciturnitatis vocabulo comprehendimus etiam virtutem rectè loquendi: siue virtutem moderatricem sermonis, quam si placet εὐλαλίαν vocare quis potest.

Hæc virtus multarum aliarum virtutum custos est & quasi nutrix seu curatrix, quia sæpissimè accidit, vt reliquarum virtutum præmia intercipiantur iis, qui hac virtute destituti sunt. Qua de re Salomon in Prouerbiis admonet cap. 18. *Mors & vita in manibus linguæ.* Et Syrac. capit. 28. *Sepem præ-texis prædio tuo, cur nõ potius ori tuo obdis ostium & repagulum? aurum & argentum expendis libra, cur non trutinas verba tua aurificis statera.* Idem: *Sapientes os suum in corde habent.* Tales admonitiones confertæ extant in sacris & profanis autoribus

bus, quas alibi legent Ethicæ Studiosi. Ratio autem cur sermo tam cautè sit regendus, est ista: quia lingua humana est membrum valde mobile, id est, tale, quod homo sine labore aut difficultate aliqua facilè vsurpat, quodque minus defatigatur, quam alia membra. Hinc nempe libenter mouet hoc membrum. 2, quia sermo est talis res, ad quam homo rapitur per naturam: Cum enim sit animal sociabile, & verò verba sint vinculum societatis, ideo ruit ad verba & sermonem.

Canones de hac virtute pertinent partim ad modum loquendi, partim ad modum tacendi, partim ad circumstantias loci, temporis & personarum, partim ad obiectum, de quo tacendum & loquendum est, partim ad verba quibus loquendum est.

Multa audi: dic pauca: tace abdita: disce minori parere: maiori cedere: ferre parem.

1 *Ante omnia prius cogitandum est id, de quo loqui velis, ne præpostero ordine lingua prius aliquid significet, antequam mens totum illud expenderit, atque adeo ne lingua præcurrat mentem.*

2 *Videndum etiam est de quibus rebus loquaris, an nempe tales sint, quas oporteat significare, aut quæ possint efferri.*

3 *Cauendũ est ne de multis rebus simul loquamur, tum quia mens multa vera simul & breui tempore non comprehendit, ideo facilè falsum loquimur, sicut dicitur:* in multiloquio est vanitas: *tũ quia in multiloquio est confusio & perturbatio ordinis, ita vt qui multa simul loquitur, facilè vel se vel alios confundat.*

4 *Non est loquendum de eo quod non conuenit nostræ personæ, aut de quo alii qui adsunt, melius loqui possunt.*

5 *Videndum est, ad quas personas loquaris: neque enim de omnibus ad omnes loquendum est.*

6 Consi-

6 *Considerandum est tempus, quo loquimur; neque enim de omnibus semper loquendum est.*

7 *Locus etiam obseruandus est, quia non in omni loco omnes res rectè enunciantur.*

Violant hos Canones illi, qui philosophantur in ganea, qui disputant de rebus diuinis, arduis & magnis inter lusus & conuiuia, inter ebrios, qui sermonem nullum rectè perpendunt.

8 *Quædam res sunt prorsus semper tacendæ, quædam non semper, sed aliquando.*

9 *Prorsus tacendum est de rebus pugnantibus cum vero & bono, atque adeo de obscœnis, de rebus per se odiosis & tædiosis.*

Ad Ephes. 4. præceptum hoc est Ethicum simul & Theologicum; *Nullus sermo putris egrediatur ex ore vestro.*

10 *Aliquando tacendum in assentione & dissentione, ne leuiter alteri assentiamur, aut cõtradicamus odiosa & pertinaci contradictione.*

Syrac. 4. *Veritati ne contradicas vllo modo, &c.*

11 *Tacendum etiam est in commendatione & laude sui ipsius: nisi tum, cum vindicatio honoris & bonæ famæ atque adeo officii nostri, aliquid postulat.*

Prouerb. 27. *Laudet te os alienum.*

12 *Etiam in aliorum commendatione & laude non semper est loquendum, nisi parcè & considerate, præsertim in priuatis colloquiis & præsente eo, quem laudas: In vituperio autem parciores adhuc esse debemus, etiamsi id mereantur.*

Syrac. 11. *Neq; laudes aliquem neq; vituperes.*

13 *In censuris & iudicio de aliis ferendo plus tacendum, quam loquendum, præsertim in priuatis colloquiis.*

14 *In contentione, non quouis loco & tempore*

sermo

sermo miscendus, & si miscendus sit, parcè id faciendum: quia animis efferuescentibus non consideratur id quod dicitur.

Hic canon est contra disputaces & contentiosos, de quibus Paul. 1. Tim. 6. quod insaniant circa quæstiones & contẽtionem verborum.

15 *Quod ad personas attinet, tacendum est, & sermo non commutandus cum iis, quorum conuersatio te potest corrumpere: cum talibus enim nunquam est loquendum, nisi vel officii tui ratio & cõscientia, vel ciuilis pax postulet: quia non tantum praua, sed etiam pranorum colloquia corrumpunt.*

16 *Cum insipientibus & fatuis non est facilè loquendum.*

Prouerb. 13. & Syrac. 22. monemur, ne cum fatuis sæpè loquamur: & additur ratio: *ne molestiam habeamus & quisquiliis eorum inquinemur.*

17 *Cum iracundis, cum malitiosis, cum simulatoribus, & dissimulatoribus, cum obseruatoribus, cũ inimicis tuis ne loquaris, aut parcissimè loquaris.*

Canon est ex cap. 22. Prouerb. & c. 6. 8. 13. 14. 28. Syrac.

18 *Apud senes & honoratos viros ne multa dicas.*

Syrac. 7. 8. 32.

19 *Quod de sermone præcipitur, etiam de scriptis intelligendum est, ne scripta cum iis commentemus, cum quibus loqui non debemus.*

20 *De verbis autem inter loquendum adhibendis videndum est, vt sint grauia, elegantia, perspicua: De sono etiam videndum est, vt sit clarus, distinctus, aptus rebus vel personis,*

Ad taciturnitatem etiam pertinet, vt supra diximus, Fides promissi silentii, quæ est pars iustitiæ: vbi

nempe taces ea, quæ si loquaris, tibi nocent, vel quæ promisisti te taciturum: Quæ virtus quia est difficilis, idcirco taciturnitatis effectus hic quoque est, secreta alius non facilè committere, secundum illud: Quod alios tacere vis prius ipse tace.

Opponitur taciturnitati in excessu garrulitas, incontinentia sermonis & futilitas, itemque diuulgatio secretorum.

In defectu verò opponitur silentium nimium, quod vel bonæ causæ & veritati, vel tibi ipsi nocet.

CAPVT X.

De ciuilitate & grauitate.

RESTANT duæ adhuc virtutes ad externum corporis habitum pertinentes, nempe CIVILITAS & GRAVITAS.

CIVILITAS *est virtus, quâ ad elegantiam componitur totius corporis habitus & gestus.*

Ex adspectu, inquit Syrac. cap. 19 *cognoscitur virtus, & ex obuia personæ specie cognoscitur, quâ valeat mente.* Item: *Ornatus viri, & risus, gressusque hominis enunciant constitutionem eius.* Et Ouid.

Maius opus mores composuisse suos.

Item, *Prima sit in nobis morum tutela,* &c.

Et Ambros. 1. Officior. *Est in ipso motu, gestu, & incessu tenenda verecundia: habitus enim animi in corporis statu cognoscitur.*

Canones de ciuilitate sunt hi.

1. *Primum officium ciuilitatis est mundicies corporis:*

Homo enim inquit Seneca. *Natura est animal mundum,* id est, studiosum mundiciei, per quam etiam à bestiis discernitur,

tur, in tertam atque adeo in sordes proiectis.

2 *Alterum officium ciuilitatis est in conueniente ornatu externarum partium corporis.*

3 *Tertium officium est in decenti elegantia vestium.*

4 *Quartum officium consistit in debita compositione externarum partium corporis, inprimis verò oculorum & manuum, atque adeo in proportione & εὐταξίᾳ, omniũ membrorum, atque adeo etiam in decenti corporis statu & progressu.*

5 *Quintum officium consistit in voce ac risu ad moderationem composito.*

6 *Sextum officium in exhibitione honoris debita & decenti, siue potius ceremoniarum & rituum istorum, qui pertinent ad mutuum inter homines honorem.*

7 *Denique etiam consistit ciuilitas in cibo & potu eleganter ac mundè capiendo.*

Ne nempe audiamus, quod iste audiebat nomine Vrbanus sed non re (nam & vrbanitas sæpè pro ciuilitate capitur) in quem Vrbanum inurbanum sic Poëta lusit:

Diceris Vrbanus, sed non vrbanus haberis:
Cum ceu vacca bibas, & suis instar edas.

Opponitur ciuilitati in excessu nimia cultura & comptura corporis, itemque vanitas in gestibus & ceremoniis externis.

In defectu opponitur inciuilitas, immundicies, & rusticitas gestuum.

Sequitur GRAVITAS *Græcè* σεμνότης, *quæ est virtus componens externum habitum corporis, sermonis, gestuum & actionum ad cuiusque statum & officium, quod gerit.*

Grauitas sæpè sumitur pro modestia, itẽ pro verecundia, i-

tem constantia dictorum & factorum: quomodo dicitur vir grauis, cuius verba habent pondus fidei: contra vir leuis, qui facilè aliquit effutit, siue verum sit siue falsum: itē qui facilè mutat sententiam, & sibi nunquam est similis. Quô pertinet illud Isocratis: *Is est grauis qui in toto vitæ cursu nihil inconstanter, nihil leuiter agit.*

Canones de grauitate sunt hi.

1 *Grauitas ætatem maturiorem requirit: nam in adolescente & iuuene dicitur modestia.*

2 *Grauitas facilè degenerat in vitium, nisi affabilitate & humanitate temperetur & condiatur.*

3 *In gestibus vir grauis eam obseruet dignitatem, quæ tacendo loquatur, & quasi non mandando mandet, atque adeo in sui admirationem & reuerentiam alios facilè rapiat.*

4 *Officium grauitatis est gestus & habitus corporis ita componere, vt aliquam reuerentiæ, & præclaræ de iis, apud quos sumus, existimationis significationem testentur: atque adeo non sint aliorum desiderio & sensibus contrarii, nec præ se ferant fastidium alterius.*

5 *Grauitas est parens autoritatis: quia grauitate velut tacitè obligamus alios ad nostri reuerentiam cum amore coniunctam, quæ obligatio* autoritas *dicitur.*

Oppon. grauitati in excessu morosa Toruitas.

De qua Isocrates: *Non est grauitas in vultus toruitate: sed in decenti compositione ac concinnitate conformi nostro statui.*

In defectu, opponitur leuitas in statu & officio suo tuendo.

Atque hæc etiam de ciuilitate, & grauitate duobus maximis hominum ornamentis, quibus in ciuili conuersatione gratiosi reddimur: ita vt dignum sit Studioso Ethicæ, de ciuilitate

uilitate præsertim plures alios autores legere, vt est libellus *Erasmi de ciuilitate morum*, *Althusius de ciuili conuersatione*, Item *Guazius*. Ante omnia autem dignissimus lectione est libellus *Joh. Casæ Itali*, cuius titulus est *Galatheus*, siue *de morum honestate & elegantia*, quē ex Italico Latinum fecit clarissimus Nathan Chytræus, qui idem etiam eruditas notas addidit.

Finis II. Libri System. Ethici.

SYSTEMATIS ETHICI

Liber Tertius & Vltimus,

De virtutibus per similitudinem dictis, deque *virtute Heroica*, & denique de *Amicitia.*

CAPVT I.

De virtutibus imperfectis in genere: & in specie, de Pudore & Verecundia.

HUcusque de virtutibus principaliter dictis: Sequitur virtus per ἀναλογίαν dicta, quæ nihil aliud est, quã bonus & virtuti consentaneus affectus.

Virtus est genus, ἕξις, sicut Logici appellant, id est, genus continens sub se species imperfectâ quadam ratione, sicut ens sub se imperfectâ quadam ratione complectitur substantiam & accidens: Quapropter id quoque ex Logica constabit, perfectissimam virtutis explicationem contineri in perfecta virtutis specie, atque adeo eum qui nouit virtu-

tem perfectè dictam, nullo negotio intelligere posse virtutem imperfectè appellatam, omnesque eius species. Tractat autem de his speciebus Aristoteles diuersis in Ethica sua locis, nempe libro. 4. cap. 9. & libro 7. vsque ad caput. 11.

Canones de virtute imperfecta generales sunt hi.

1 *Virtus perfecta est firma & constans qualitas, quæ non facile nisi cum vitâ ipsâ desinit: virtus autem imperfecta primò est saltem passio quædam, & deinde ex passione leuis aliqua impressio siue dispositio voluntatis & affectuum, quæ subinde desinit in certis hominibus, & facilè mutatur in contrarium.*

E.g. verecundia est impressio siue virtus imperfecta in iuuene, idcirco multi iuuenes reperiuntur, qui ex verecundis facti sunt inuerecundissimi, & multi ad tempus reperiuntur misericordes, qui postea fiunt immisericordissimi, imo planè etiam crudeles.

2 *Virtus perfecta plenè domat appetitum moralem: virtus autem imperfecta nondum plenè habet voluntatem & appetitum domitum.*

3 *Virtus perfecta præceptis & longa exercitatione acquiritur: virtus autem imperfecta magis per naturam inest, aut leuiusculo saltem vsu possidetur, vel vno & altero exemplo, ac imitatione imprimitur.*

Virtus imperfecta est vel genere imperfecta, vel genere simul & effectu.

Virtus imperfecta genere iterum est vel quoad nos, vel quoad proximum, vel denique quoad nos & proximum simul.

Virtus imperfecta quoad nos, est pudor seu verecũdia

quæ

quæ est duplex, nempe vel ante peccatum & dedecus, vel post peccatum & dedecus.

Pudor seu verecundia ante peccatum & dedecus, est metus infamiæ siue dedecoris mixtus cum expresso amore honesti.

De pudore & verecundia tractat Aristoteles eo loco quo dixi, nempe 4. Ethic. c. 9. vbi dicit, *Pudorem esse metum quendam infamiæ, vtpote infamiæ talis, quæ oritur ex admissis peccatis.* Similiter etiam definit 2. Rhetor. cap. 4. vbi de hac virtute imperfecta etiam tractat. Probat autem dicto cap. 9. 4. Ethicorum tribus argumentis, quod verecundia non sit virtus, subintellige, perfecta: 1. à genere, quia verecundia est affectus, & quidem talis, qui subito ortus, statim iterum euanescit: virtus autem perfecta est habitus longo vsu acquisitus & firmiter in animum impressus. 2, à subiecto, virtus moralis cadit in omnem ætatem hominis, & laudatur in omnibus cuiuscunque sint ætatis & conditionis. Pudor autem præcipuè laudatur in adolescentibus, in senibus autem non laudatur; quia senes nihil debent admittere, cuius eos pudeat; Et addit Aristoteles, quod *pudor propriè non competat viro bono, quia pudor existit propter admissam turpitudinem, vir autem perfectè bonus nihil turpe admittit, cuius eum posthac possit pudere* Quæ rigida Aristotelis vox intelligenda est de posteriori specie pudoris, nempe de dolore ob admissum peccatum. 3. argumentum Aristotelis est à proprio; Nam, inquit, virtus est per se laudabilis & absolutè, pudor autem est laudabilis tantum ex hypothesi, quatenus nimirum est pœnitentia ob admissum peccatum.

Canones de pudore & verecundia sunt hi.

1 *Pudor & verecundia est principium & causa proegumene siue irritatrix aliarum virtutum perfectarum; quia cuius natura & indoles tam bona est, vt vel metuat dedecus, vel vehementer doleat ob admissum peccatum, is honestum amat; qui autem amat honestum, facilius etiam potitur honesto, quia amor est philtrum virtutis.*

Hinc nimirum illud Terent. *Erubuit, saluares est.* Plaut. in Bacch. *Peribit ille, cui perijt pudor.* Et Cicero 2. de Finibus: *Moderator cupiditatis est pudor,* Item Cic. *Qui semel verecundiæ fines,* &c.

2 *Pudor & verecundia magis est in puero, adolescente & iuuene, quam in viro; quia hæc est naturalis illecebra ad virtutem, quæ tam diu commendatur, donec ad ætatis progressum accedunt maiores & plures illecebræ, aut etiam causæ principaliores virtutis, nempe præcepta & vsus: quæ cum possint & debeant esse in viro, ideo non amplius magnoperè commendatur hoc naturale prolectamentum.*

3 *Quia pudor & verecundia valdè commouent cor & spiritus, ideo etiam valdè commouent sanguinem in venis; sanguis commotus attenuatur & fertur sursum, & quidem fertur versus eam partem, quò maxima copia spirituum irruit, nempe versus faciem & genas, circa quas sunt instrumenta quatuor sensum, nempe Visus, Auditus, Olfactus & Gustus.*

Antè dictum est pudorem constare ex metu & amore, qui duo affectus concurrentes cor vehementius impellunt, cum duo agentia sint fortiora vno: Cor autem vehementer commotum impellit spiritus, spiritus impellunt sanguinem, & quia maior copia spirituum ruit ad instrumenta sensuum, quæ sunt in facie humana, ideo sanguis quoque eò concitatius fertur; quia densiores ac molliores musculi sunt circa latera buccarum siue genas, ideo sanguis & calor sanguinis eo in loco magis apparet: Vnde & genæ dicuntur *sedes pudoris*, quamuis in magno pudore tota facies ex omni parte rubescat; Si autem cor & temperamentum hominis non sit rectè compositum, atque adeo vbi metus tantùm adest ex malefactis, & non simul amor honestatis, ibi sanguis potius recedit versus cor, ita vt malitiosæ naturæ non tam erubescant quam expallescant ad infamiæ & turpitudinis metum.

Ex

Ex qua declaratione causa quoq; intelligitur: *Cur rubicundus color dicatur ornamentum iuuentutis*: Item, *Cur pudor dicatur* χρῶμα, *seu tinctura virtutis*; item, cur filia Aristotelis interrogata, *quisnam color pulcherrimus*, rectè responderit: *Rubedo, quæ per verecundiam ingenuis oboritur.*

Opponitur pudori & verecundiæ in excessu κατάπληξις, *siue* δυσωπία, *id est, animi quidam stupor & pudor rusticus, quo etiam eorum nos pudet, quæ per se honesta & laudabilia sunt, sic vt ea vel non conemur, vel nimis meticulosè agamus, vel ea non recusemus, quæ recusare debebamus.*

De hoc vitio breuiter Aristoteles attingit citatis ante locis, sed Plutar. scripsit elegantem libellum, περὶ τ δυσωπίας, *De rustico pudore*, cuius etiam exempla aliquot memorabilia vel innuit, vel expresse commemorat: vtpote si delinquat amicus, & pudore prohibitus reprehendere eum non audeas: Si te inuitet ad conuiuium occultus inimicus, qui insidias tibi struere cupit inter pocula, & pudore prohibitus non audeas recusare, ne videaris illi diffidere, vitiosiss. iste pudor est, & iubet nos Plutarchus imitari Xenophanem & Phocionem, quorum ille cum à Laso Hermionis filio meticulosus vocaretur, quod nollet cum ipso cubis ludere, siue aleâ & tesseris, & Lasus dixisset, *tu homo es meticulosus, qui non audeas mecum ludere*; respondit Xen. *imo non tantum meticulosus sum, sed etiam meticulosiß. aduersus inhonestum*: Phocion amico Antipatro iniquum petenti sine pudore respondit: *Non potes me simul & amico vti & adulatore.* Ita si quis nobis iam potu saturatis præbibat & offerat poculum, noſque pudore prohibiti non recusemus, pudor ille est illaudabilis, & vitium vero pudori in excessu oppositum.

In defectu opponitur pudori impudentia, per quam nullam infamiam aut dedecus metuimus in dictis aut factis nostris.

De hac canon est: *Impudentia longè detestabilior est, quam pudor rusticus, quia excludit omnem amorem honesti, quem amorem nimis superstitiosè fouet*

δυσωπία.

Nim-

Nimius pudor est inutilis viro egenti, inquit Euryp. sed non tamen propterea melior est impudentia, vtpote quæ habitat in corde desperato & ad omnem metum inhonesti obfirmato, ità vt idem Eurypides verissimè exclamet: *Maximum omnium vitiorum quæ inter homines sunt, est impudentia*: cuius rationem reddit Plutarchus in citato libello, quia, inquit, quisquis pudore vacat, non sentit dolorem ex turpiter factis, & quia non sentit dolorem, ideo non cupit emendari; sed semel transgressus verecundiæ fines, gnauiter postea est impudens, vt merito concludere possimus cum Comico.

Periit, cui periit pudor.

CAPVT II.

De virtutibus imperfectis quoad alios, siue de Sympathia, immunitate ab inuidia, immunitate à suspicione:

COmpassio est affectus bonus & virtutis similitudinem habens, per quem condolemus aliorum doloribus.

De hoc sunt Canones.

1 *Quia homo est animal sociale, ideo alios homines amare debuit, & quia amare debuit, idcirco etiam debuit ijs condolere, cum aliquid mali patiuntur.*

Hoc est quod Poëta grauissimè canit:

——*Mitissima corda*
Humano generi dare se natura fatetur,
Quæ lachrymas dedit.

1. Natura fecit hominem procliuem ad compatiendum aliis, quod ex effectu probatur, quia flent homines etiam in alienis malis.

2 *Etiam malis & improbis compatimur, non quatenus improbi sunt, sed quatenus communem nobiscum naturam habent.*

Opponi-

Opponitur sympathiæ siue compassioni in excessu nimia compassio, in defectu vero ἀπάθεια, per quam nemini compatimur.

Misericordia *est virtus impropriè dicta, per quam magnis aliorum malis afficimur vehementius, ita vt oriatur in nobis cupido eos ex istis malis eripiendi, si nobis possibile sit, aut si iustitia permittat.*

Arist. 2. Rhet. sic definit: *Misericordia est ægritudo animi orta à notitia mali siue calamitatis, quæ eum affligit qui tali fortuna est indignus.*

Canones de misericordia sunt.

1 *Quò naturæ sunt meliores, eò ad misericordiam sunt propensiores.*

Id quod Homerus eleganter dixit: Ἀγαθοὶ δὲ φιλοδάκρυες ἄνδρες. *Boni viri sunt lachrymabiles*, i. misericordes; idque propterea, quia quo quis melior est, eo magis amat societatem humanam, & per consequens, etiam bonum societatis humanæ, quod bonum tum perfectum sit partib. quando omnibus hominibus inest, ideo si videat istud bonum alicui non inesse, commouetur statim. Accedit etiam hoc, quod in bonis naturis cor sit benè temperatum, & per consequens, non sit nimis durum & graue ac terrestre seu ponderosum, quod autem est minus terrestre, id facilius mouetur.

2 *Facilè etiam ad misericordiam commouentur homines illi, qui sunt naturâ imbecilliores & timidiores, item illi qui sunt periti rerum humanarum, & qui similes calamitates experti sunt, quas in alijs obseruant.*

Imbecilles & timidi facilè commouentur ad misericordiam, quia habent cor nimis leue, i. nimis rarum & compactum minùs, quale est in sexu muliebri, qui facilè & nimis ad misericordiam commouetur. Doctrina verò eruditi ad misericordiam facilius commouentur propterea, quia norunt res rectè expendere, & quia imagines istæ pulcher-

pulcherrimarum rerum, quas in natura didicerunt, magnum naturæ & hominum amorem illis impreſſerunt, quia ex pulchritudine oritur amor, ita vt rectè dicere poſſimus: *Didiciſſe fideliter artes emollit corda.* Accedit & hoc, quod exculti literis varias hiſtorias legerunt, ex quibus diſcunt, quam facilè hoc ipſi poſſint experiri, quod nunc alii experiuntur. Illi verò qui calamitates ſimiles experti ſunt, facilius ad miſericordiam mouentur; propterea quod in animo habeant imaginem ſimilem, & in corde etiam ſimilem motum ſint experti, ex quo motu de alterius motu facilè iudicant; ſicut ſimile ex ſimili facilè concludit, vnde Dido illa Virgiliana:

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

3 *Excitatur etiam facilius miſericordia in iis, qui ſunt eiuſdem ſortis & conditionis cum eo, qui malum aliquid patitur.*

Ita ſtudioſus ſi videat alium ſtudioſum in periculo aut calamitate conſtitutum, facilius mouetur quam mercator aut opifex: ita Rex, ſi videat Regem miſerum, facilius ad miſericordiam concitatur, quam ſi videat aliquem hominem plebeium eidem miſeriæ eſſe expoſitum. Amamus enem eos magis qui eiuſdem nobiſcum ſunt ſtatus, & idcirco etiam acerbius ferimus eorum miſerias. Altera cauſa etiam intelligetur ex ſeq. Canone.

4 *Ii quoque facilius mouentur ad miſericordiam, qui iudicant ea mala, quæ alii conſequuntur, ſibi quoque contingere poſſe.*

Nempe, quia noſmetipſos amamus, ideo eos quoque amamus qui nobiſcum aliquid commune habent, & quorum miſeria noſmet quoque tangere poteſt. Ideo experientia teſtatur eos homines, qui putant ſe iis viribus aut potentiâ valere, vt nihil aduerſi pati queãt, eſſe immiſericordes.

Opponitur miſericordiæ in exceſſu nimia miſericordia: quâ fit, vt eos, quos iuſtitia pœnæ ſubiicit, cupiamus à pœna exceptos: In defectu vero pugnat immiſericordia, qua nec afficimur aliorum malis, nec iis cupimus opitulari.

In

In Stoicorum ſcriptis ſæpe reperiuntur eiuſmodi dicta, quibus videntur omnem miſericordiam ex humano genere voluiſſe exterminaſſe, qualis eſt illa Epicteti horrida vox: Cũ eiulantem aliquem videris, caue te viſum illud moueat, vt exiſtimes eum verſari in malis: Sed apud te diſtinguito, & ita cogitato: Iſtum affligit non caſus ille, ſed concepta de caſu opinio; ac oratione quidem tua eius perturbationi ſubſeruire ne dubita, atque ſi res ita tulerit, externè congemiſcas, caue-bis autem ne internè congemiſcas: Quæ poſtrema verba immiſericordiæ addunt hypocriſin. Exemplum immiſericordiſſ. pectoris fuit Timon, ille Miſanthropus, qui teſtabatur ſe in tota ſuâ vitâ nullius miſeriâ commotum eſſe, ſed in maximis aliorum hominum calamitatibus eſſe lætatum, neque ſibi quicquam iucundius in vita poſſe contingere, quam ſi totam Græciam & omnes Græcos flammis intueretur abſumptos.

Sequitur Immunitas ab inuidia, quæ eſt virtus imperfectè dicta, qua vltro bona aliis communicata cupimus, & ſi communicata ſint, iis congratulamur.

Opponitur huic virtuti Inuidia; cuius duæ partes ſunt: quarum priori non volumus communicata aliis bona quæ communicare poteramus, aut etiam debebamus: Poſteriori verò parte triſtamur ob bona aliunde data, ita vt cupiamus ea ab iis ablata.

Ex natura & proprietatibus inuidiæ optimè eluceſcet natura virtutis, quæ inuidiæ oppoſita eſt. Cæterum, quæ communiter *inuidia* dicitur, Ciceroni *inuidentia* appellatur, vt vocis ambiguitatem effugeret: Nam inuidia tam eſt eorum, qui inuident, quam quibus inuidetur; id eſt, inuidiæ vocabulum tam actiuè quam paſſiuè vſurpatur. In definitionibus Speuſippi, quæ Platonis operibus addi ſolent, Inuidia definitur, quod ſit *triſtitia ex amicorum bonis*. Ex Rhetorica Ariſtotelis talis definitio colligitur, quod inuidia ſit Ægritudo animi concepta ex eo quod alteri, qui nulla ratione melior nobis videtur, benè ſit, idq; non tam propter commodum inuidentis, ſed quia ægrè fert alterum huiuſmodi bono frui.

Canones

Canones de Inuidia sunt.

1 *Inuidia potissimè regnat inter pares siue homines eiusdẽ status & conditionis, idque propterea, quia existimamus eum, qui nobis in vno est similis, in omnibus similem esse debere.*

Hinc illud Hesiodi: Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων. *Figulus figulo inuidet & fabro faber.*

2 *Itaq; summis & extra communem nostram conditionem positis, communique iudicio eminentibus viris non inuidemus.*

Sic Alexandro Magno, aut Cyro gregarius miles non inuidet, sed eum potius admiratur: Vnde elegantiss. Plutarchus inquit in opuscul. De differentia odii & inuidiæ: *Inuidia fugatur splendore virtutis, sicut sol cum altissimus fertur omnem sui corporis vmbram disiicit.*

3 *Inuidi sunt pusillanimes, abiecti & viles, atq; adeo etiam deprauati cordis.*

Sunt pusillanimes, quia aliena iis videntur magna, secundum illud Ouid.

Fertilior seges est alieno semper in agro:
Vicinumq; pecus grandius vber habet.

Viles autem sunt & praui, naturæque corruptæ, quia si bonarũ & magnarum rerum ipsi essent capaces, non ita mirarentur aliorum bona & suis meliora esse opinarentur. Vnde Plut. præclarè in opuscul. De exilio. *Natura illa deprauata est, quæ non tam propriis bonis delectatur, quam angitur alienis.*

4 *Inuidia potissimum se extendit ad bona honoris & fortunæ.*

Neque enim alteri facilè inuidemus propterea, quod sit pius aut Deo acceptus, sed propterea quod sit in magnis honoribus & opibus constitutus; quia nempe pietas & aliæ eiusmodi virtutes non ita perstringũt sensus, neq; ita videntur nobis aut nostræ sorti aliquid Præiudicare aut detrahere.

5 *Inuidia maximum est tormentum eius, qui huic affectioni est obnoxius.*

Memorabile est paradoxon Gregor. Nazianzen. in orat. de

de Cathedra, vbi inquit: *Inuidia est omnium perturbationum iustissi. & iniustiss.* Iustissimam esse dicit, quia pœnam sumit de inuido. *Dominum suum*, inquit, *exedit & consumit dira malignaq; lues, quæ doloſe adeo pectoribus hominum illabitur, vt prius omnia occupet, quam sentiatur ingredi, Dæmon vernaculus & familiaris, qui admittitur facile: sed non nisi magno labore eiicitur*: vnde illud Horat. *Inuidus alterius rebus macrescit opimis*. Item, *Inuidiâ Siculi non inuenêre tyranni Tormentum maius*. Et Ouid. 3. De Pont.

Liuor iners vitium, mores non exit in altos;
Vtq; latens imâ vipera serpit humo.

Comparat inuidiam viperæ, quod & facit Basilius, qui dicit: *Sicut vipera partu immoritur, ita inuidus inuidiâ.* Ambros. de fuga seculi: *Fuge inuidiam, quæ non tam alienos, quam eum quẽ possidet, lacerare consueuit.* Et Prosper lib. 3. sent. *Inuidia nihil iustius est, quæ protinus ipsum autorem interimit, & excarnificat suum.* Antisthenes inuidiam eleganter comparauit rubigini: *Nam vt rubigo consumit ferrum cui inest, ita inuidia animum eius cui inhæret.* Agis rex Spartanorum dixit: *Inuidorum duplicem esse pœnam, propterea quod angantur propriis malis & crucientur commodis alienis*; ita vt Menander rectè dixerit: *Inuidus est sibimet hostis.* Iniquissimus autem hic est affectus ratione obiecti, quia dirigitur aduersus bonos, neque enim cuiquam inuidetur nisi bono, aut ob bonum aliquod, vnde Plautus in Truc. *Inuidere alii benè esse, tibi malè esse miseria est: Qui inuident egent, illi quibus inuidetur, rem habent.*

6 *Inuidia nascitur ex superbia.*

Vt præclarè August. *Inuidia est filia superbiæ, suffocetur mater, & non erit filia.*

7 *Inuidia semper coniuncta est cum quodam fremitu aduersus Deum, qui bona & dona sua alteris dedit.*

Vnde Chrysostomus: *Inuidia est inimicitia aduersus Deum*; nam si acquiesceres in Deo, & eius gubernatione ac libera dispensatione, vtique etiam acquiesceres donis illis, quæ in alios dispensauit.

8 *Inuidia in eo differt ab odio, quod etiam mortuos*

tuos possimus odio prosequi, inuidia autem non nisi viuos.

Nempe viuos putamus nobis præiudicare posse & obstruere nostris luminibus, mortuos autem non item. Itaque rectè Horatius: *Virtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quærimus inuidi.* Et Ouidius, *Pascitur in viuis liuor*, &c.

9 *Inuidi omissis virtutibus eorum, quibus inuident, solis incubant vitiis, eaq; semper in mente & ore habent.*

Quia enim oderunt eum, cui inuident, ideo vitia tantum eius obseruant, virtutes autem studiosè occultant. Contrà verò expertes inuidiæ aliorum bona, vt præclarè inquit Pindarus, foràs vertunt, id est vitiis occultis, virtutes intuentur & prædicant.

10 *Inuidiæ vitium hac ratione poterimus à nobis auertere, si cogitemus non debere omnium eadem, aut omnium æqualia esse in genere humano dona & bona: sed necessariam esse & distinctionem, & simul etiam imparitatem, siquè simul modestè expendamus ea bona & dona, quæ in nobis sunt, inque iis acquiescamus.*

Hoc remedium voluit præscribere Epictet. sed verbis vtitur arrogantioribus inquiens: *Qui omnia bona à se petit, nec inuidia ducitur, nec æmulatione.*

11 *Qui rebus secundis florent, inuidiam declinabunt triplici ratione:* 1, *si omnibus se comes præbeant: raro enim inuidetur honoribus modestorum:* 2, *si res secundas in aliorum commoda impendant: raro enim inuidetur liberalibus. Denique* 3, *si nihil agant contra ciuilem modum, & non affectent peculiaritatem, sed familiaritatem: nam familiaritas non parit inuidiam, sed extraordinaria singularitas.*

Huc pertinet illud præclarum oratoris cuiusdam Aristidæ, qui dixit Romanos propterea, crescente imperio, declinasse

aliorum

aliorum populorum inuidiam, quod exteros quoque in societatem imperii sui receperint,& eos suæ ciuitatis & commodorum participes fecerint, Sciuit hoc Papa, qui crescente splẽdore Ecclesiæ Rom. cuitaturus inuidiam hominum Politicorum,nempe Principum,Regum,Baronum,Nobilium, assumpsit eos in societatem redituum, & fecit participes opulentorum canonicatuum Tacitus Agricolam socerum suum scribit virtute in exequendo, verecundia in prædicando quæ fecisset,extra inuidiam nec extra gloriam fuisse. Politici nonnulli hoc quoque declinandæ inuidiæ remedium suppeditant, vt quia inuidia sæpe virtutem impedit vel euertit, ii qui in Rebus pub.vel aulis ad magna aspirant,enitantur vt quam celerrimè, non per tarda modicaue incrementa ad summum gloriæ perueniant, ne dum moras trahunt,occasionem præbeant inuidis, aut spacium illis concedant, quo possint nocere:quod præceptum hausserunt ex Plutarcho,dicente: *Nec igne fumus,nec per gloriam inuidia gignitur,si subito effulgeat.*

Sequitur Immunitas *à suspicione,quæ est virtus imperfecta, per quam non facilè mali quid de aliis præsumimus.*

De hac canon est: *Immunitas à suspicione oritur ex naturæ bonitate & simplicitate: qui enim mali aliquid in seipso non nouit, is etiam non ita facilè nouit in alio.*

Opponitur huic virtuti suspicio, siue, vt nonnulli loquuntur, suspicacitas : *quæ est malus affectus, quo quis malum præsumit etiam de eo, de quo non debet.*

De hac sunt Canones.

1 *Suspicaces naturæ sunt malæ, quia non facilè quis malum præsumit de bono,nisi malum cognouerit in seipso,atque adeo alios iudicet ex suo ingenio.*

Nota est sententia: *Suspicio non cadit in virum bonum*: cuius rei causam in canone dedimus. Sæpe autem homines abuti solent isto dicto, & id applicare ad prudentiam, per quam iubemur

iubemur non facilè omnib. fidere, cum tamen aliud sit non facilè fidere, aliud verò mali aliquid de aliquo suspicari: Nam cum non fidimus alteri, nobis saltem cauemus: cum autem mali aliquid de aliquo suspicamur, vtique etiam iniuriam alteri facimus, iniuriam autem alteri inferre non est boni viri.

2 *Ex suspicione grauissima mala oriuntur, etiam inter amicos: propterea quod suspicio est falsa rei imaginatio: imaginatio autem quando firma est, multos prauos affectus in corde gignit.*

CAPVT III.

De quasi virtutibus, seu virtutibus imperfectis partim quoad nos, partim quoad alios.

VIrtus imperfecta partim ad nos, partim ad alios relata, est tum Æmulatio, tum Pœnitentia.

AEmulatio est animi quidam stimulus & quædam ægritudo ob bonum alterius, non ex eo concepta, quod alter isto bono fruatur, sed quia nos quoque istud bonum habere desideramus.

Canones de AEmulatione sunt.

1 *Inuidia in malis, æmulatio autẽ in bonis regnat naturis.*

2 *AEmulatio, quia est incitamentum ad virtutem & imitationem præclarorum virorum, ideo valde necessaria & vtilis est, iuuenibus præsertim.*

Vnde Cic. in Brut. *AEmulatio, non inuidia inter me & Hortensium extitit, cum quo certare est glorioſius, quã non habere aduersarium.*

3 *AEmulatio nascitur inter conditiones similes.*

Ita inquit Arist. 2. Rhet. 2. & Plutar. in Polit. quæstion. inquit: *Naturâ comparatum est, vt inter illos æmulatio non oriatur,*

tur, qui diuersis virtutibus præditi, vni eidemque rei non dant operam. Idcirco Romanus æmulatur eos, qui gloria belli excellunt: Athenienſis eos, qui ſapientiæ famam habent: Spartanus eos, qui diſciplinæ & tolerantiæ laudem habent: Carthaginenſis eos, qui mercaturæ & rei maritimæ peritia celebres ſunt.

4 *Is maximè æmulatur alios, qui ſe bonis dignum eſſe exiſtimat, & qui ſperat ſe iis bonis adhuc poſſe potiri.*

Hic etiam canon eſt ex dicto loco Ariſtot. vbi addit, iuuenes magnanimos, diuites & gratioſos æmulari, præcipuè verò eos, quorum parentes & maiores clari fuerunt: illi enim quæuis bona ſibi propria eſſe cenſent, iiſque ſe dignos eſſe exiſtimant.

5 *Etſi affectus æmulationis ſit bonus & vtilis, tamen facillimè exorbitat, & odium, inuidiam, atque inimicitias gignit.*

Scribit Plutar. Catonem primò in æmulatione, poſt in inuidia amicorum fuiſſe, quod conquereretur ſe non poſſe illius excellentiam imitari. Huc pertinet memorabilis ſententia Periclis, quæ eſt in eius parentali orat. lib. 2. apud Thuc. *Solemus*, inquit *aliorum laudes hactenus æquis accipere auribus, quatenus putamus eaſdem in nos quoque cadere poſſe, quæ vero ſupra nos poſita ſunt, iis cum inuidia fidem detrahimus.* Tale quid etiam fuit in laudato aliàs Principe Adriano, de quo Dion ſcribit, *inuidere magis hunc Imp. eſſe ſolitum, quam æmulari.* Quapropter ex Ethicis ſumamus ſalutare remedium aduerſus eum animi affectum, quo aliorum laudes eximias ægrè audimus ac admittimus, & diſcamus laudatæ æmulationis proprium eſſe, non tantum ea aliorum bona & dona conſectari, quæ imitando aſſequi poſſumus, ſed & alia quæ non poſſumus; & ſatis eſſe ducamus, ſi aliqua ex parte homines excellentes poſſimus exprimere.

AEmulationi in exceſſu opponitur indignatio concepta ex eo, quod alterius virtutẽ cõſequi nõ poſſumus: In defectu verò abiectio animi & deſperatio, quâ non

curamus, siue alius nobis sit excellentior siue non, neque cupimus aliorum virtutes imitari.

De qua abiectione animi canon est.

Abiectio animi & contemptus, ac neglectus omnis laudis in cordibus hominum, tollit amorem virtutis, & omne propositum ac culturam eius extirpat.

Hoc est quod præclarè Tacitus inquit: *Contemptu famæ contemnuntur virtutes.* Item, *Ignauis nec in victoria decus, nec in fuga flagitium.* Et sanè experientia testatur ea ingenia raro ad excellentiorem eruditionem peruenire, quæ ita sunt abiecta, vt non tangantur cupiditate laudis, neque afficiantur aliorum encomiis. Quod de excellentiori eruditione dixi, idem quoque de excellenti virtute morali intelligendum est. Aliud fuit Themistoclis ingenium, quem Miltiadis trophæum non sinebat noctu dormire, sed ita incendebat eius cor, vt quiescere non posset, prius quam æquè de patria mereretur, vt Militiades meritus erat.

Pœnitentia est virtus imperfecta, per quam serio dolemus ob admissum aliquod vitium, & firmiter proponimus illud in posterum cauere & virtuti studere.

Vocabulum, *pœnitentiæ*, interdum vsurpatur pro virtute, siue affectu boni, & ita includit quoque propositum cauendi eius, quod admiseris: Interdum vero pœnitentia sumitur pro solo dolore siue proposito emendandi, & quidem pro dolore non tam concepto ex odio vitii admissi, quam ex metu pœnæ. Nos pœnitentiam priori significatione sumimus hoc loco. Cæterum aliter de pœnitentia Ethicus, aliter Theologus tractat. Ethicus enim tantum moralem pœnitentiam considerat, quæ etiam fuit in honestis Ethnicis. Theologus autem spiritualem pœnitentiam considerat, quæ non est nisi in hominibus fide saluifica præditis. Sicut ergo aliud est honestas, aliud pietas, ita aliud est dolor ob honestatem violatam, de quo hoc loco agimus: aliud verò dolor ob pietatem violatam, de quo Theologus.

Canones

Canones de pœnitentia ſunt.

1 *Vera pœnitentia qualis eſt in viro honeſto, qui abhoneſtate aberrauit, oritur magis ex odio vitii quam ex metu pœnæ, quia honeſtatis amor magis oritur ex ipſa honeſtatis natura, quam ex honeſtatis præmio: ergo contra quoque dolor inhoneſtatis magis oriri debet ex inhoneſti natura, quã ex inhoneſti effectu ſeu pœna.*

Ad hunc Canonem pertinent illi verſus tritiſſimi:

Oderunt peccare boni virtutis amore:
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

2 *Pœnitentia ſeria valde concutit cor, & firmum dolorem ei imprimit: ideò quem ſerio pœnitet, non facile in idem vitium relabitur, in quod antea lapſus eſt.*

Sicut is, qui ingentem dolorem percipit ex alliſione tibiæ ad lapidem, ita firmam habet impreſſionem iſtius doloris in cerebro & corde ſuo, vt vel ad imaginationem lapidis exhorreſcat; Ita qui magnum dolorem ex admiſſo vitio cõcepit, ita firmiter iſtius vitii deteſtationem animo & cordi imprimit, vt vel ad eius imaginationem animo exhorreſcat, ne dum patiatur ſe ad iſtud vitium retrahi. Id quod Horatius vult, cum inquit:

Scelerum ſi benè pœnitet,
Eradenda cupidinis
Praui ſunt alimenta.

Et, proh dolor, ita fit, vt non immerito dixiſſe videatur Polybius: *Alios exiſtimare, quod homo ſit ſapientiſſimum animal, ſe autem putare, quod homo ſit ſtultiſſimum animal: quia animalia reliqua ſollicitè caueant id à quo ſemel offenſa ſunt, homo autẽ in idem vitium ſæpè relabatur.*

Opponitur Pœnitentiæ in defectu impœnitentia, quæ eſt ſecuritas animi ab omni dolore propter admiſſum vitium, ſeu turpe & inhoneſtum concipiendo.

De impœnitentia Canon eſt:

Impœnitentia est nutrix omnium vitiorum, quia enim impossibile est semper cauere vitia, si eô progrediaris, vt propter vitia non doleas, semper vitiosus futurus es.

In excessu opponitur pœnitentiæ nimius dolor, seu desperatio, per quam ita dolemus ob admissum vitium, vt animum ad virtutem non redintegremus.

CAPVT IV.

De Continentia & Tolerantia.

HVcusque de virtutibus imperfectis ratione generis. Restant virtutes imperfectæ ratione generis & effectorum simul.

Accedimus iam ad doctrinam de continentia & incontinentia, in qua magna pars libr. 7. Ethic. Aristotelis consumitur: Sunt enim istius libri duæ partes, quarum prior est ad caput 11. in qua agitur de continentia & tolerantia, itemque de virtute Heroica. Posterior autem pars est à capite vndecimo vsque ad finem: in qua agitur de voluptate, quam doctrinam cum supra tractauerimus, restabit nobis tantum prior pars libr. 7. in qua quidem de continentia & incontinentia Aristoteles sic tractat, vt fateri oporteat, esse eum non ita explanatum & perspicuum, vt fuit in aliis doctrinæ Ethicæ capitibus. Nos tamen rem omnem breuiter cõprehendemus.

Canon generalis de hisce virtutibus, quæ imperfectæ dicuntur ratione effectus, est hic, *Dicuntur hæ virtutes imperfectæ propterea, quia sicut in perfectis virtutibus appetitus magis subiectus est rectæ rationi: ita in his virtutibus imperfectis, adhuc magna est lucta inter rectam rationem & appetitum.*

Aristoteles dicto libro. c. 1. facit distinctionem inter virtutes perfectas & imperfectas, quod nempe virtutes perfectæ

perfectæ non habeant pugnam rectæ rationis & appetitus, imperfectæ autem virtutes adhuc contineant luctam & pugnam, ratione cuius luctæ, sunt *semiuirtutes*, vt Picolom. appellat.

Virtus imperfecta ratione effectu, est vel circa voluptatem, vel circa dolorem, quarum illa dicitur continentia, *hæc* tolerantia.

Continẽtia vel generalius accipitur, vel specialius.

Generalius accepta est concertatio quædam virtutis cum vitio, sic tamen, vt virtus vincat.

Vt textus Aristotelis expeditè intelligi possit, opus omnino est distinctione continentiæ; vtpote de qua interdum generalissimè, interdum specialiter loquitur Philosophus; Generaliter loquitur cap 1. vbi dicit continentiam esse virtutem, per quam prauæ cupiditates & inordinati affectus rectæ rationi subiiciuntur, sed inuiti. Atque idcirco non malè dici potest, continentiam esse medium quendam gradum inter perfectam proprieque dictam virtutem, & inter absolutum vitium. Cum enim in benè agendo luctam & pugnam sustinemus, sic tamen vt virtus vincat, dicimur continentes. Græcè enim ἐγκράτεια dicitur, quasi dicas, virtus refrenans repugnantem appetitum. Latinis à *continere*, quod est inuitum quasi & repugnantem tenere; & ἐγκρατὴς propriè est, qui pro virtute contra vitium luctatur.

Specialis continentia est virtus imperfecta, per quam luctamur cum ira, cum cupiditate cibi, potus, veneris: item cum cupiditate sermonis & locomotiuæ; & sic luctamur, vt tamen virtus superior sit.

Obiectum specialis istius continentiæ Aristoteles capit. 7. vt etiam cap 4. dicit esse voluptates eas præcipuè, quæ sunt circa alimentum & venerem; inter quas voluptates eam distinctionem instituit, quod aliæ sint naturales siue necessariæ, id est tales, quas natura præscripsit, vt sunt eæ, quas percipimus in cibo, potu, venere; Aliæ verò sint non naturales, vt sunt eæ quas percipimus ex diuitiis, honoribus, cupiditate vindictæ. Circa voluptates naturales dicit primariò versari continentiam, circa reliquas autem secundariò & cum

adiectione quadam, vt nempe incontinens circa tales voluptates non dicatur absolutè, sed addito nomine istius voluptatis, nempe *continens iræ, continens vindictæ.*

Canones de continentia speciali, sunt hi.

1 *Continens neque nimis, neque minus tribuit voluptatibus corporis, quam par est; sed medio modo est affectus; hinc fit quod sit constans in proposito, nec se patiatur facilè ab eo auelli.*

Hanc proprietatem tribuit continenti Aristoteles cap. 9. lib. 7.

2 *Differt interim continens à pertinaci; quia continens perseuerat in honesto proposito & in vera sententia; quod si autem propositum & sententia eius non sit bona, patitur se rationibus dimoueri, cum contra pertinax nullis rationibus se patiatur abduci, vnde ἰσχυρογνώμων dicitur.*

3 *Pertinaces sunt triplices; quidam enim sunt singulares & proprias suas opiniones fouent & obstinatè defendunt, eo tamen nomine, quia propriæ ipsorum sunt; & hos eleganter vocat Aristoteles ἰδιογνώμονας: quidam verò sunt pertinaces indocti, ἀμαθεῖς, qui licèt non possint suas opiniones defendere, nec aliorum rationes soluere, tamen præiudicio quodam in proposito perseuerant: quidam denique sunt ἀγροικοι, agrestes pertinaces, qui planè non curant, vtrum benè vel malè sentiant, atque adeo veritatem & honestatem non amant, sed tantum persistunt in ijs, quibus sunt assueti, aut quibus delectantur; rationes autem non volunt audire planè, nec possunt etiam auditas intelligere.*

Breuiter, pertinax sic distinguitur, quod sit vel singularis, vel indoctus, vel profanus; Cum singularibus & indoctis vtcunque adhuc disputari potest, quamuis difficulter & raro

cum

cum fructu; Cum profanis autem & agreſtibus planè non eſt diſputandum & agendum, de quo etiam Ariſtoteles monet ſeptimo & octauo Topicorum.

4 *Duplices ſunt ij, qui à ſua ſententia & proposito deſcedunt: quidam enim hoc faciunt propter amorem veritatis & honeſtatis; quidam verò hoc faciunt propter aliquod commodum: Priores ſunt verè continentes, (nam mutare falſam ſententiam non repugnat continentiæ) poſteriores autem ſunt incontinentes, etiamſi fortè à ſententia falſa ad veram diſcedant, quia hoc faciunt ex animi leuitate.*

Opponitur continentiæ in defectu quidem ſeminitium nomine carens, cum quis voluptates adeo auerſatur, vt ne propter honeſtam quidem voluptatem aliquid laude dignum ſuſcipere velit; In exceſſu vero apponitur incontinentia, qua tum affectibus alijs, tum inprimis in gulâ & Venere modum quis excedit, ita vt à pranis cupiditatibus quodammodo inuitus ad peccandum pertrahatur.

Canones de incontinentia ſunt hi.

1 *Incontinens partim ſciens agit, partim ignorans: Sciens agit, quatenus in genere nouit turpe fugiendum: ignorans agit, quatenus generalem iſtam notitiam non applicat ad ſuam actionem.*

Totum caput 3. lib. 7. Ariſtoteles conſumit in iſta quæſtione; *an incontinens agat ſciens vel ignorans*; ſed tota res iſta diſtinctione expeditur, quod incontinens ſciat quidem in genere, quid ſit faciendum, in ſpecie autem non applicet ad ſuam actionem, id quod in genere nouit.

2 *Incontinens id, quod in genere nouit, non applicat in ſpecie, propter repugnantiam appetitus & rationis, & propter animi perturbationes.*

Ariſto-

Aristoteles dicto cap. 3. etiam disputat, quomodo fieri possit, vt cum incontinens sciat generalia, non applicet ea ad speciem: & respondet hoc fieri, ob animi perturbationes, quibus impeditur mens, ne possit genus ad speciem contrahere.

3 *Circa incontinentem igitur tria tempora sunt consideranda. 1. est, quod præcedit eius actionem, & tunc omnino præditus est scientia honesti tam generali, quam speciali. Alterum tempus est in ipsa actione incontinentis; tunc enim est similis ignoranti, quia animus est perturbatus prauis affectibus, ita vt non possit vti eâ scientiâ quam habet. Tertium tempus est post actionem siue post peccatum admissum: tum enim incontinens redit ad notitiam, quam ante habebat, ita vt incipiat eum facti pœnitere.*

Ita in primo peccato Adami, quod fuit incontinentia, tria ista tempora notari possunt; nam ante comestionem fuit plena scientia: in comestione autem fuit obliterata; post comestionem recollecta & cum pœnitentia coniuncta.

4 *Non solo appetitu peccat incontinens, sed etiam ratione, licèt illa ratio sit perturbata & imbecillis.*

Aristoteles ibidem.

5 *Incontinentia cupiditatum alimenti & veneris peior est, quam incontinentia iræ.*

Aristoteles cap. 6. huius conclusionis affert 4. causas: 1. quia incontinens iræ aliquo modo audit rationem, eiusque mandata exequitur, quæ iubet illatam iniuriam vindicare; tantum in eo peccat, quod nimis cito antequam plenum rationis mandatum acceperit, aut etiam nimis acerbè properat ad vindictam: incontinens autem cibi, potus, & veneris planè non audit rationem: sed solo sensu fertur & prolectatur voluptate gustus & tactus. Altera causa, quia incontinentia iræ magis videtur proficisci à temperamento quam à voluntate; contrà verò incontinentia alimenti & veneris. 3. quia incontinens iræ magis apertè agit: voluptuarii

tuarii autem agunt callidè & occultè. Denique 4. quia incontinens iræ videtur iusto dolore excitari ad vindictam: voluptuarius verò nullum habet honestum prætextum, sed ex merâ petulantiâ peccat.

6 Intemperans longè est deterior, quam incontinens.

Hanc conclusionem tractat Aristoteles toto 8. Ethic. c.7. & adfert 5. rationes; quarum 1. est, quia intemperans magis peccat ex proæsi, quam incontinens. 2. quia intemperans habet deprauatum iudicium, vt non possit peccatum agnoscere nec pœnitentiâ duci: incontinens autem habet iudicium ex parte sanum, ita vt corripiatur pœnitentiâ sui facti. 3. quia intemperans est insanabilis, cum non agnoscat suum morbum, nec potest intelligere bonas admonitiones. 4. quia intemperans continuat suum vitium: incontinens tantum per interualla peccat; itaq; intemperans est similis hydropico, incontinens autem epileptico: denique quia intemperans etiam à leuibus cupiditatibus patitur se vinci, incontinens autem non nisi à vehementioribus: atque adeo intemperans est πονηρὸς, siue verè malus: incontinens autem ἡμιπόνηρος, semimalus, quia non ita plenâ voluntate peccat, vt intemperans.

7 Nullus incontinens est plenè prudens.

Hanc conclusionem tractat Arist. c. 10. lib. 8. Eth. Dico autem cum Arist. quod non sit plenè prudens, quia sicut non excludo ab incontinenti speciem boni viri, ita etiam non omni modo excludo speciem prudentis viri, sed tantum plenè prudentis viri, sicut Arist. dilertè in hoc cap. repetit, quod incontinens non sit planè improbus, quia non peccat planè consulto, insidiosè & fraudulenter: sed perturbatione animi quasi præter voluntatem animi abreptus ad peccandum. Dat autem 4. rationes, cur incontinens non sit plenè prudens. 1. inquit, quia non ita plenè est abreptus ad res agendas, vt vir prudens. 2. quia vir prudens non patitur se abripi cupiditatibus ad peccandũ. 3. quia vir plenè prudens est plenè bonus, incõtinens autẽ non est plenè bonus: deniq; quia vir prudẽs non tantũ scit quæ agẽda sunt, sed etiã ea agit, quæ scit esse agenda, incontinens autem non. Mouet autem ibid.

Arist.

Arist. obiectionem dignam consideratione; Atqui reperiuntur multi, qui licèt viuant incontinenter, tamen feliciter possunt administrare tam priuata quam publica negotia; Respondetur, in talibus non tam esse plenam prudentiam, quam naturalem solertiam, quæ etiam potest esse absque prudentia propriè sic dicta,& reliquis virtutibus moralibus.

8 *Incontinens non est simpliciter improbus: quia ex animi perturbatione quasi præter voluntatem suam ad peccandum abripitur.*

Est autem incontinentia duplex, nempe præcipitantia & infirmitas.

Præcipitantia est incontinentia, quâ subitò quis per imprudentiam ad peccandũ abripitur, antequam possit cogitare.

Vnde & προπετεια dicitur.

Infirmitas est incontinentia, quâ quis affectibus & cupiditatibus prauis aliquandiu resistens, tandem succumbit, & cupiditatibus suis quasi victus ad peccandum seducitur.

De hac sunt 2, Canones:

1 *Infirmitas magis est reprehendenda quam præcipitantia, quia infirmitas habet spatium & moram sese muniendi aduersus cupiditates & affectus prauos: Præcipitantia vero abripitur à vehementiori affectu, antequam possit cogitare, quo pacto alicui affectui velit resistere.*

Diuisionem hanc incontinentiæ quam dedimus, simulq; comparationem infirmitatis & præcipitantiæ, habet Aristoteles capite 7. dicti libri.

2 *Infirmitas minus est sanabilis quam præcipitantia: quia aliquo modo per naturæ vitium inest: naturalia autem difficulter mutantur, sicut & inueterata consuetudo, quæ paulatim in naturã degenerauit.*

Est

Est & incontinentia alia humana sive κατ' ἄνθρωπον, *alia verò non humana,* ὑπὲρ τὸν ἄνθρωπον.

Humana est quæ frequenter in homines cadit.

Et hæc iterum est vel κυρίως & ἁπλῶς *dicta, nempe circa voluptates naturales & necessarias, vt puta alimenti & veneris, vel dicta* κατὰ τι καὶ κατ' ἀφροδίσιον, *secundum quid, per additionem, vt incontinentia honoris, pecuniæ, lucri, &c.*

Non humana est iterum vel θηριώδης, *bestialis, qualis est in monstrosis hominibus: vel* νοσηματώδης, *morbosa, qualis est in mulieribus nonnullis grauidis picâ laborantibus, item in hominibus laborantibus* ἐκλειψίᾳ: *vel denique est* ἐθιστὴ, *consuetudinaria, quam homines contrahunt ex deprauata & inueterata consuetudine, vt cum homines per consuetudinem prauam fiunt gulosi.*

Habet istam diuisionem incontinentiæ Atistoteles sub finem cap. 5. ita vt nobis hinc inde ex capite libri 7. Methodica doctrina incontinentiæ fuerit extruenda, in qua breuiter comprehendimus quicquid prolixè apud Aristotelem de incontinentia disputatur, & fundamenta suppeditauimus, ex quibus facile expediri possunt istæ 6. quæst. & disp. quas Ethici ex hoc textu mouere solent.

Tantum de continentia & incontinentia: Sequitur altera genere & effectu imperfecta virtus, nempe Tolerantia, qua res aduersas & laboriosas honestatis gratia quidem perferimus, sed perferimus cum dolore, cum molestia & luctâ animi.

De altera hac imperfecta specie Aristoteles tractat breuissimè eodem libro 7. capite 1. vbi dicit καρτερίαν esse imperfectum habitum, quo res aduersas & laboriosas perferimus; subintellige cum quadam luctâ: nam vt continentia continet cum luctâ, ita tolerantia tolerat cum luctâ, id quod postea etiam non dissimulat Aristoteles cap. 1. vbi tolerantiam

&

& continentiam cum perfectis virtutibus confert; Rectè qui hoc considerat, facilè videt, quomodo supra à nobis de Tolerantia sit actum, & quomodo agatur hoc loco: Ibi nempe vt de habitu virtutis orto ex præceptis & longo vsu: hîc autẽ vt de effectu & quasi virtute, nec præceptis nec vsu magnoperè probata.

De hac canon est: *Tolerantia non adit pericula, vt fortitudo: sed ea quæ imposita sũt, perfert vt potest.*

Extremum tolerantiæ in excessu est durities siue obduratio: in defectu mollities.

Obduratio est vitiosus affectus, quo ex obstinatione animi, sine magno honestatis respectu, molesta & aduersa tolerantur,

Hoc vitium multi Spartanis tribuunt, de quibus ita Cicero 2. Tusculan. *Spartæ verò pueri ad aram sic verberibus excipiuntur, vt multus è visceribus sanguis exeat, nonnunqam etiam, vt cum ibi essem audiebam, ad necem vsque, quorum nemo non tantum exclamauit vnquam, sed ne ingemuit quidem.* De Spartano puero refertur & illud, cum vulpeculam esset furatus, eamq; sub veste abditam teneret, & bestia illius latus ad intestina roderet, tacitè dissimulauit: & quibusdam eũ obiurgantibus & dicentibus: *Præstat obtegere vulpeculam quàm ad necem seruare: Nequaquam dixit, quin imò præstat doloribus immori, quam committere vt ob mollitiem vitam lucri fecisse dicar.*

Est autem mollities duplex, nempe vel insita & voluntaria, vel quæsita.

Mollities insita est, quâ nonnulli homines propter naturam loci in quo habitant, vel propter ætatem & sexum laborant.

Ita distinguit Aristoteles sub finem cap. 7: Ethic. Et sunt exemplum huius mollitiei Persæ, qui naturâ fuerunt molliores, vnde Prouerbium: *Mollities Persica.* Ita etiam de hac mollitie malè audiebant Iones, vtpote qui primò vnguenti, item coronarum ad mensam, item mensarum secundarum vsum introduxerunt. De mollitie Sybaritarum vide Danæum lib. 12. cap. 6. Sic mollitie laborant infantes, item fœminæ, item

qui

qui diuturnis morbis eneruantur.

Mollities voluntaria est, quæ non tam natura, quã nostra culpa contracta est.

Exemplum mollitiei partim naturalis, partim acquisitæ notat Strabo lib. 5. Geographiæ, & Valer. Max. libr. 9 cap. 1. in Campanis Italiæ populis, qui cum aere spirarent molliori, etiam studium & affectationem mollitiei adidderunt, vsq; adeo vt Hannibalem in Campania hybernantem, ex summa asperitate legamus degenerasse ad effæminatiss. mollitiem: nimirum vt aer laxus, id est calidus & humidus laxat & diffluere facit exteriorem carnem, ita quoque laxat & diffundit carnem cordis, vt spiritus ita firmi & compacti in eo non generẽtur, quæ causa est cur scriptores rei bellicæ dicant fortissimum militem ex montanis legi. Itaque vt aere emolliuntur corda, ita quoque delitiis, ignauiâ ac voluptatibus: vnde Aristoteles citato cap. 7. dicit, *voluntaria & quæsita mollitie laborare* τὲς ἀπολαυστικὲς, *voluptuarios, ignauos, & qui luxui dediti sunt:* quia ludicrarũ rerum imagines delatæ ad cor leuiter illud afficiunt, nec vllum firmum affectum ei imprimunt, cum spiritus per res ludicras non valide afficiantur, sed debiliter tantum alterentur; spiritus autem leuiter alterati laxant potius cor, quam constipant.

CAPVT. V.

De virtute Heroica.

HVcusque de virtute absolutè spectata; Supereſt virtus spectata in gradu eminentiæ, quæ vocatur virtus Heroica, *& de qua sunt hi Canones.*

1 *Virtus Heroica à virtute communi non differt specie, sed tantum gradu, sicut feruor differt à tepore.*

De virtute Heroica breuissimè Aristoteles atttingit libro 7 Ethicorum, cap. 1. prolixè autem tractat Fr. Picolom. toto Grad. 6. P.M. vbi inter alias quæstiones varias, etiam hanc tractat, *an virtus Heroica à virtute communi differat specie:* Sed non opus est nodum in scirpo quærere cum

cum res plana sit, quod nempe virtus Heroica nec genere, nec obiecto differat à virtute communi & ad finem etiam eundem tendat, ad quam tendit alia virtus communis. Dicitur autem virtus ἡρωϊκὴ, ab ἥρως, quam vocem Latini exprimere satis non potuerũt, vt Græcã hanc retinere sint coacti: Sed de Græca voce & eius origine contendunt Grammatici: Alii enim deriuant ἀπὸ τ῀ ἀρετῶς, à virtute, quæ duriuscula est deductio: Alii à voce ἀὴρ, quia nempe Heroum animæ antiquitus creditæ sunt cum Dæmonibus manere in aere, & ibi res humanas à vicinio contemplari, sicut etiã Xenon apud Laert. li. 7. Heroas vocat animas sapiẽtũ corporibus solutas & in aere ita obuagantes. Alii deriuant ab ἔρας, à terra, quia Heroes sint terrestres quidam Dii, sicut etiam Lucian. Heroem definit ὃς μήτε θεὸς μήτε ἄνθρωπος, ἀλλὰ συναμφότερον, *qui neque est Deus, neq; homo, sed vtrũque.* Alii deriuãt ab ἥρα, id est à *Iunone*, quæ est Dea & præses aeris, quod nempe Heroes terras superent, & ad Deos accedere videantur; vel potius, quod existimo, quod Heroes habeant naturam aeream & impetus vehementes instar ventorum: quam Etymologiam amplectitur August. lib 10. De ciuit Dei. cap. 21. Sed omnium optima deriuatio est, ἀπὸ τ῀ ἔρωτος, quod amor & studium virtutis in Heroicis naturis sit vehemens, quam Etymologiã etiam Plato tradidit in Cratylo.

2 *Heroica virtus latè se extendit, ita vt alia sit Heroica virtus intellectualis, qualis est in excellenter doctis & sapientibus, præsertim verò disciplinarum inuentoribus; alia verò sit spiritualis, qualis fuit excellens virtus Abrahami: alia denique sit excellens virtus moralis, qualis ad institutũ hoc nostrum pertinet, nam de aliis speciebus excellentis virtutis non in Ethica, sed alibi tradendum est.*

3 *Heroica virtus, de qua hîc agimus, requirit singulare temperamentum & dispositionem corporis.*

4 *Consistit autem virtutis ista eminentia seu excellentia, quæ virtus Heroica dicitur, in his tribus:* 1, *in admirabili impetu & facultate res magnas efficien-*

endi: 2, in summa constantia istius propositi. Denique 3, in successu & felicitate incredibili.

5 Qui enim virtute Heroica excellunt, illi primò vehementissimo desiderio & amore ducuntur finis alicuius præclarioris, & mentem suam altius eleuant ad vltimum finem, nempe ad Deum & res diuinas siue eminentes, & ad summam quandam honestatem, atque adeò ad bonum publicum, quod summa quadam prærogatiua priuato præferunt.

6 Hic impetus atque hoc desiderium quando præcessit in Heroicis naturis, sequitur deinde conatus siue executio propositi vehementiss. & in ista executione constantia incredibilis, ita vt qui hac virtute præditi sunt, nullis planè voluptatum illecebris à proposito & conatu pelliciantur, nullis etiam molestiis & difficultatib. aut etiam impedimentis retardentur, aut sistantur: quin id omne quod obsistit, strenuè perrumpunt, & ea quæ semel peragenda susceperunt, sine defatigatione pertexunt, & quidem celerrimè.

7 Itaque viris Heroicis omnia sunt faciliora & procliuiora, quam communibus communi virtute præditis.

8 Habent etiam viri Heroici oportunitates & occasiones rerum gerendarum maiores, quàm alii homines, atque adeo etiam felicitatem & successum experiuntur maiorem, ita vt omnia præter spem & expectationẽ felicissimi illis succedant, quæ aliis hominibus nunquam succedere voluerunt.

6 Aduersiss. quæque & quibus alii homines succumbunt miserrimè, Heroes cum admirationes perferunt, atque adeo humanam conditionem q. vincunt, vt etiam in summis miseriis decus tum personæ, tum

virtutis ſuæ tueantur.

Occaſione huius canonis breuiter nobis eſt decidenda quæſtio: *An omnis magnanimitas & magnificentia ſit virtus Heroica*; quandoquidem ſupra diximus, *Magnanimitatem eſſe eminentem virtutem circa honorem, & magnificentiam eſſe eminentem liberalitatẽ*; Reſpond. autem q; virtus ita affecta ſit, vt aliæ qualitates, quæ non tantum habent primum, vel ſecundum gradum, ſed etiam tertium, & etiã quartum, prout Medici ſapienter definiuerunt, herbas quaſdam eſſe primo, quaſdam ſecundo, alias tertio & quarto gradu calidas. Itaque etſi magnanimitas ſit ſecundus virtutis gradus ſupra modeſtiam, magnificentia ſit ſecundus virtutis gradus ſupra liberalitatem, & ſi veniant in comparationem modeſtiæ & liberalitatis, Heroicæ dici poſſint: tamen proprie loquendo Heroicæ virtutes nondum ſunt, vt quidem ſupra eas conſideraiimus. Sicut enim tepor collatus cum ſummo frigore eſt calor, collatus autem cũ ſummo calore eſt frigus: Ita magnanimitas collata cum communi modeſtia, eſt virtus Heroica, vt etiam magnificentia collata cum communi liberalitate: interim tamen ſi vlterior cõparatio & eleuatio graduum fiat, erit communis aliqua magnanimitas & cõmunis magnificentia; quæ cum eminentiori gradu collata, planè non ſit heroica, atque adeo vltra quam detur magnan. & magnif. verè heroica. Et ita acutè omnino hanc quæſtionem determinat Piccol. Grad. 6. P. M. c. 5. vbi inquit: *Nõ omnis magnificentia omnisque magnanimitas heroica eſt, ſed ea tantum quæ vel maximè fulget, vel ad finem eminentiorem eleuat.*

10 *Virtus heroica merito virtus diuina dicitur, & qui hac ſunt præditi, magis ad Dei ſimilitudinem aſcendere, quam ad humanam infirmitatem deſcendere videntur: atque adeo excedit hæc virtus communem hominum ſortem in tantum, quantum excedit communem hominum virtutem: Itaque etſi multi homines nõ habeant vehementes impetus: tamen vtcunque poſſunt aſſuefieri, vt actiones edant virtuti conſentaneas: Sed interim pauci vltra hos communes*

impetus

impetus ad virtutem Heroicam eleuantur.

11 *Nulla est virtus Heroica, ne quidem moralis sine speciali Dei actione: Nam etiam extra Ecclesiam Deus duplices actiones edit, generales nempe, quæ continentur communi naturæ ordine, & speciales, quæ aliquid habent singulare & eximium.*

12 *Itaque prima causa Heroicæ virtutis est peculiaris quidam afflatus & ductus diuinus, quo incitatæ Heroicæ naturæ altiss. sibi proponunt, & propter quem ductum nanciscuntur opportunitates, successus & felicitates, quas alii non nanciscuntur.*

13 *Neque enim est in potestate humana sic & aliter nasci, nec sunt in viribus humanis opportunitates & successus inopinati.*

14 *Itaque hoc respectu Heroica virtus magis diuina quam humana censeri debet, cum nempe Deus & indolem præstantem donet, & singulari quodam impetu incitet, & felicitatem largiatur supra communem hominum sortem.*

Hoc nimirum est quod ex Platone Cicero dicit: *Nullum unquam virum magnum extitisse sine peculiari afflatu diuino*; & propter hunc velut immediatum concursum causæ primæ cum causis secundis proximis, veteres dixerunt, *Heroes esse medios inter Deos & homines*: ita vt Ethnici etiam peculiares cultus diuinos Heroibus exhibuerint, quod patet ex septimi Politicorum Aristotelis, cap. 12. vbi inquit: *Fana per agrum erigi debent tum Diis tum etiam Heroibus.*

15 *Et quia isti impetus diuinitus excitantur, ideo quoque authoritas, quâ Heroes sunt circundati, atque adeo reuerentia & metus à Deo pectoribus hominum inseritur.*

16 *Cum causa autẽ hac diuina conueniunt quo-*

que cauſæ naturales, ita vt rectè quoque Melanchthõ dicat: In Heroicis nãturis incẽdũtur animi principaliter ab ipſo naturæ impetu: principaliter *dici quoad cauſas inferiores.*

17 *Ad Heroicam virtutem plurimum facit felix inſtitutio, atque adeo doctrina eminentior de ſummis reb. nempe de Deo, ſpiritibus, animâ humanâ.*

Deſumpſi hunc canonem, ex Grad. 6. Piccolom. c. 8. vbi præclara ſunt verba: *Fulgere*, inquit, *poteſt virtus Heroica munere rectæ diſciplinæ, congruentis inſtitutionis, probæque aſſuetúdinis.* Ex his enim ortum ducunt virtutes, propterea qui his ſe accuratiſſimè præbuerit, poterit refulgere in omni virtutis genere: nam multa & pernicioſa vitia ex falſis opinionibus prodeunt, præſertim ex his, quæ ad Deum & animam noſtram pertinent. e.g. ex illis quod Deus non ſit, & ſi eſt, quod humana non curet, quod hominum animæ ſint mortales, ex quibus erroribus pernitioſiſſ. vitia moralia quaſi feræ & beſtiæ prodeũt, perinde vt ex iſtorum errorũ oppoſitis formoſiſſ. virtutes tanquam radii ex Sole refulgeant.

18 *Obiectum virtutis Heroicæ eſt omne reliquarum virtutum obiectum, ſed excellentius & maius, & tale inprimis, quod bonum publicum concernat, & euidentem humano generi vtilitatem afferat, ita vt Heros ſit, qui magna bona publica ardenter cupit, conſtanter tentat, & feliciter.*

Neque enim ſtatim ſunt Heroes, qui magna cupiunt & appetunt, poſtea autem difficultatibus territi abſtinent & reſiliunt: ſed illi qui penetrant & efficiunt; Sicut enim opus laudat artificem, non conatus efficiendi, ita quoque effectus potiſſimè commendat Heroem.

19 *Quando Deus aliquid ſingulare vult efficere, & regna & Reſpub. vel fundare, vel collapſas inſtaurare, tum excitat Heroica ingenia, quæ id ſua virtute & felicitate præſtant: Nã ad magna effecta magnis*

magnis opus erat causis.

20 *Sicut autẽ gradus sunt in virtute, ita quoque sunt in virtutum actionibus: & sicut actio virtutis Heroicæ præstantior est actione virtutis mediocris, ita felicitas Heroica præstantior est felicitate communi.*

21 *Cum personæ Heroicæ sint veluti personæ extraordinariæ, ideo de eorum factis ordinaria via non est semper iudicandum ad mensuram mediocrium personarum.*

22 *Qui facta Heroum extraordinaria imitari volunt, eos oportet eodem impetu & spiritu esse præditos, quo erant præditi Heroes: alioqui non imitatores Heroum, sed ridiculæ Heroum simiæ fient.*

23 *Heroes quia habent vehementes impetus, quos non possunt semper cohibere, ideo quando impingunt, grauissimè impingunt.*

Hoc illud est quod S. literæ dicunt: *Vir sapiens non leuiter desipit:* **Ein grosser mann thut keine schlechte thorheit.** Atque hæc quidem de natura & proprietatibus Heroicæ virtutis. Quod ad exempla attinet, breuiter saltem nonnulla subiiciemus ex doctrina Melanchthoniana. Ita summus Heros fuit I. Cæsar, quoad omnia 3. requisita Heroicæ virtutis, nempe impetum, celeritatem & successum: quæ tria trib. verbis ipse effatus est: VENI, VIDI, VICI. Alexander M. & Scipio Africanus habuerunt insignes impetus ad fortitudinem, qui impetus rectè vocantur *Dona Dei*, à quo nempe & adiuuantur & gubernantur. In Achille quanta est animi magnitudo? Intelligit enim viri Principis munus, videl. res magnas pro communi salute gerendas esse & acerrimis stimulis ad hoc decus excitatur, vt res gerat Reipublicæ vtiles: delectatur ipsa virtute & ipso labore magis quam præmiis. Atque in mediocribus hominibus virtus est languidior, vt in Agamemnone. Prudentia fuit in Themistocle, iustitia Heroica in Aristide & Catone. Sub finẽ notetur axioma seu

canon, *quod Heroum exitus raro sint optati & felices.* Causa est duplex: 1, vehementia naturæ, quam non semper possunt regere; 2, Magnitudo inuidiæ, quâ premuntur: Idē enim est inuidiæ qui virtutis gradus. Idcireo tanto ardentius orare debent Heroes vt diuinitus gubernentur.

Opponitur virtuti Heroicæ eminentia vitii, in defectu quidem summa ignauia & ineptitudo ad omnem virtutis impetum: in excessu verò feritas seu bestialitas.

De ignauia, non est quod pluribus agamus: Feritas seu bestialitas est eminentia vitii, per quod homines, contra omnem rationis & voluntatis in natura reliquam regulam, horrenda patrant, nec tam ex infirmitate vitium admittunt, quam ex naturæ & consuetudinis immanitate.

De hac Aristoteles 7. Politicorum, capite primo: *Eos*, inquit, *homines, qui vitiis cæteros antecellunt, turpi & infami nomine* θηριότητος *notamus.*

Canones de feritate seu immanitate sunt hi.

1 *Feritas rationis vsum excludit vel omnem, vel saltem magna ex parte,*

2 *Omnem rationis vsum excludit feritas hominum phreneſi vel mania siue insania mentis laborantium, quales homines interdum horrenda patrant.*

3 *Quodammodo rationem excludit feritas ex morbo muliebri, qui dicitur* Pica, *aut etiam ex naturali quadam siue à prima natiuitate orta assuetudine, quæ est vel integrorum populorum, nempe eorum, qui in syluis & montibus instar bestiarum oberrant: vel singulorum, qui è societate ciuili præ desperatione se subducentes, instar bestiarum degunt, & vel pilos sibi euellunt, vel* ungues

erodunt

erodunt, atque adeo proprium corpus suum horribiliter tractant.

De qualibus dicit Aristot. 1. Pol. c. 2. quod is qui extra societatē humanam viuere cupit, sit vel Deus vel bestia. Cæterū hanc distinctionē feritatis Aristot. habet 7. Ethicorum, ca. 1. & simul etiā cap. 5. & Picolom. prolixius, Grad. 6. M. P. ca. 14.

4 *Feritas cum ratione coniuncta est, quam homines patrant ex eminentia quadam vitiosi habitus sine morbo aut barbarie quadam, siue quando nec morbosi sunt, nec in barbarie viuunt.*

5 *Et hæc feritas proprie opponitur virtuti Heroicæ: quia sicut hæc est eminentia virtutis moralis, ita illa est vitiositas modum communem superans, siue est ipsa eminentia & apex vitij.*

De hac loquitur Aristot. lib. 7. c. 5. vbi inquit, quod omnis vitiositas, nempe intemperantia, timiditas, sæuitia & immisericordia modum excedens, sit feritas. Et ita rectē nonnulli Ethici definiunt, quod feritas sit vitium, quo mens aversa est ab omni humanitatis sensu, atque adeo quo lumen rationis nimis est obtenebratum, ita vt talia scelera patrentur quæ sunt rara. Eiusmodi feritas est in iis, qui cruore inimicorum pascunt oculos, qui se oblectant aspectu supplicio-rum, quæ de miseris sumuntur. Tales homines depinxerunt Poëtæ, quando dicunt fuisse per veneficium Circes mutatos in feras. Etenim tales, vt Erasmus inquit lib. 2. de cop. præter hominis vocabulum nihil habent, sed degenerant libidine in vrsos, voracitate in sues, ferocia in leones.

6 *Feritas naturalis & morbosa, etsi sit horribilior, tamen est minus malum quam vitium morale.*

Videtur hic canon esse paradoxos, quod feritas sit minus malum quam vitium commune; sed Arist. eum ponit 7. Eth. 6. & rationibus non contemnendis confirmat, inquiens: *Etsi feritas magis videatur horrēda, quā malitia et improbitas, tamē malitia & improbitas longe est deterior:* 1, quia improbi adhuc ratione sunt prediti, ideò minus sūt excusabiles. 2, quia improbi magis sunt insidiosi, & possunt excogitare varios modos occul-

occultè nocendi; feroces autem seu furiosi, quia ratione & mentis vsu destituti sunt, non possunt callidos modos & rationes excogitare quibus aliis noceant, sed tantum cæco quodam impetu in alios feruntur, atque sæpe sibijpsis potius exitium afferunt, quam aliis, non secus ac equus furiosus currens per saxa & montes, & sessorem excutiens, se ipsum potius euertit quam sessorem.

7 *Altera autem feritas, quæ est eminentia vitij moralis, quæque vsum rationis non excludit, tanto deterior est vitio morali, quanto altiori gradu illud superat.*

His ergo duobus canonibus expediuimus quæstionem quæ ab Ethicis anxiè disceptari solet: *Quomodo feritas sit deterior vitio morali*: de qua quæst. plura si cupis, vide Piccolom. Grad. 6. cap. 14.

8 *Sicut autem virtus Heroica est eminentia vel virtutis perfectè dictæ, vel virtutis imperfectè dictæ; ita vt sicut virtus mediocris est vel perfecta vel imperfecta, ita quoq; virtus Heroica: ita quoq; immanitas opponitur vel virtuti perfectè dictæ, vel affectibus, æ quibus proximis capitibus actum est.*

9 *Est ergo feritas in singulis virtutibus, siue oppositum quid singulis virtutibus, nempe feritas opposita temperantiæ, feritas opposita liberalitati, mansuetudini, &c. vt nempe tot sint species feritatis, quot sunt species virtutis.*

Exemplum feritatis oppositum liberalitati simul & miser. circa annum Christi 970. edidit Hatto Episcopus Moguntinus: Cum enim magna fames totam Germaniam premeret, & copia mendicorum Eleemosynam petentium ad Episcopum concurreret, iussit immanis Episcopus omnes in cludi in horreũ aliquod amplum, quasi sc. sua liberalitate os inibi pasturus: cumque ita concluſi essent, igne subiecto horreum incendi & simul omnes concremari iussit; cumque eorum in mediis flammis ardentium vlulatus audiis-

set,

set, *Audite*, dixit, *murium vocem*. Sed tertio Episcopatus anno diuina vltio Episcopum oppressit, siquidem murium ingens copia totã eius arcem & omnia conclauia sic peruasit, vt nusquã ei tutus daretur locus, ne is quidem quem studiosiss. aduersus mures muniuisset, donec tandem in ipso Rheno turrem extruxit, eoque se contulit, vt à muribus liber esse posset : Sed bestiolæ Rhenum transnatarunt, turrim ascenderunt, & Episcopum morsibus enecarunt.

CAP. PENVLTIMVM.

De Amicitia propriè & perfectè dicta.

DEduximus per Dei gratiam, quò voluimus, primum & potissimum felicitatis moralis medium, virtutem nimirum : Sequitur alterum, nempe vnio & conspiratio in virtute siue amicitia.

Notum est nos supra distinxisse totam doctrinam Ethicam, in doctrinam de fine & obiecto, & doctrinam de medio ad finem ducenti, medium autem constituisse duplex, nempe virtutem & virtutis opinionem, quæ *amicitia* dicitur, & de qua nobis hoc capite tractandum est. Quod autem amicitia sit medium virtutis moralis, ex eius proprietatibus & effectis abundè patebit : & vocat ita disertè Philosophus libro nono, capite vndecimo : quibus locis disputat quod amicitia opus sit ad bene beateque viuendum, & quod felix bene felix esse non possit, si omnino amicis careat. Agemus ergo sic de amicitia, vt simul explicaturi simus librum octauum & nonum Aristotelis. Dicitur autem amicitia ab amore, vt aliquot locis Cicero vult; nempe in dialogo De amicitia, 1. De natura Deorum, & secundo De finibus : vbi inquit : *Quid autem est amare, à quo nomen amicitiæ ductum est, nisi velle bonis aliquem affici quam maximis, etiamsi ad se ex his nihil redeat?* Porrò amicitiæ vocabulum ambiguum est, & interdum latè, interdum verò strictè accipitur. Latè accepta amicitia significat omnem vnionem, siue omnium societatem hominum inter sese. Sicut Aristoteles libro

octauo

octauo Ethicorum, capite nono dicit: *In omni societate est aliquod ius, & aliqua amicitia, imò tantum est amicitiæ, quantum iuris.* Idcirco cap. eodem, aliquot argumentis confirmat amicitiam nil aliud esse quam societatem & communionem. Sicut ergo societas & communio, ita amicitia latè accepta est vel φυσικὴ naturalis, vel κοινωνικὴ & πολιτικὴ, communicatiua & ciuilis, quemadmodum amicitia distinguitur eodem 8. lib. cap. 12. Naturalis quidem amicitia est, quam naturalis coniunctio conciliat; estque iterum vel Συγγενικὴ, *Cognata*, vel Γαμικὴ, *Nuptialis*. Cognata amicitia est vel parentum & liberorum, vel fratrum & sororum inter sese. Nuptialis amicitia est, quæ ex nuptiis oritur, de quâ eodem cap. docetur: & est inter maritum & vxorem. Affinis est inter hos & horum affines. Amicitia communicatiua seu politica est, quæ oritur ex societate rerum ciuilium in qua amicitia tantum est vinculi quantum est iuris, vt ibidem Aristoteles dicit. Est autem ciuilis amicitia vel Magistratus & subditorum, vel subditorum inter sese. Amicitia Magistratus & subditorum est vel monarchica, vel Aristocratica, vel Democratica. Et omnis hæc iterum vel recta vel vitiosa; de quibus vide caput decimum & 11. lib. 8. Amicitia subditorum inter sese est societas, quam colunt ciues & tribules, de qua lib. 9. cap. 3. Quâ distinctione ambigui vocabuli notatâ, apparebit multa, quæ citatis capit. ab Aristot. de amicitia docentur, non esse huius loci & instituti, sed pertinere partim ad doctrinam de principiis & causis effic. virtutis, vbi etiam de amore & coniunctione in genere accepta nobis actum est; Partim verò ad doctrinam Politicam de societate inter Magistratũ & subditum, sicut reuera totum caput 10. & 11. lib. 8. est Politicum: Partim ad Oeconomicam, qualis est amicitia inter coniuges, fratres, sorores, de qua Oeconomica societate Aristoteles tractat c. 12. penè integro lib. 8. Ita vt parum sint Methodici illi Ethici, qui de his societatibus circa doctrinam de amicitia morali tractant, existimantes nempe præcepta ista esse Aristotelis, cum tantum sint Commentarii. Porrò amicitia & amor seu dilectio inter se differunt; possumus enim multos amare ac diligere quibus tamen non sumus amici statim; amici dico, propriè dicti, id quod Aristoteles disertè docet

cet lib.9. Ethic. cap. 5. vbi dicit : Beneuolentiam & amorem non esse ipsam amicitiam, etsi necessaria sit ad amicitiam; nempe multis benè velle possumus, etiamsi istam beneuolentiam non apertè ostendamus : Amicitia autem requirit non occultam, sed manifestam beneuolentiam, idcirco est specialis quidam amor & dilectio. Itaque præclarè disputat L. Dan. in egregio libello De amicitia, cap. 4. quod non pugnet amicitia cum dilectione Christiana, etiamsi rectè dicatur nos omnem proximum nostrum debere diligere, & interim etiam rectè dicatur nos non omnem proximum nostrum, sed vnum tantum & alterum habere amicum; quia, inquit, multa loca Scripturæ testantur, Deum ipsum facere gradus in dilectione, atque adeò monere non eodem modo omnes esse diligendos. Sicut autem virtus est vel spiritualis vel moralis, ita & vnio virtutis, seu amicitia est vel spiritualis vel moralis, quarum vna alteram non tollit, sicut honestas non tollit pietatem, aut pietas honestatem; & possum alicui esse amicus moraliter, cui non sum amicus spiritualiter, id est, possum conspirare cum aliquo in exercitiis honestatis, cum quo non conspiro in exercitiis pietatis. Nos ergo non tractamus hoc loco de amicitia spirituali, de qua in exemplo Ionath : & Dauid. præclarè Danæus tractat; sed agimus de amicitia morali, quæ est medium ad felicitatem ciuilem.

Amicitia autem strictè dicta seu moralis, est vnio duorum vel plurium in aliquo bono morali, nempe honesto, iucundo aut vtili.

Amicitia est genus imperfectum & tale, quod perfectè explicari non potest, nisi explicata eius perfecta specie. Itaque dedimus qualemcunque generalem descriptionem, accuratam definitionem reseruantes ad perfectam amicitiæ speciem. Aristoteles libr. 8. cap. 2. talem generalem definitionem tradit, quod amicitia sit beneuolentia mutua & manifesta, vel virtutis vel voluptatis, vel vtilitatis causa concepta. Sic etiam Cic. libr. 2. de Inuent. Amicitia est voluptas erga aliquem rerum bonarum causa cum pari eius voluntate. Cæterum de genere amicitiæ quale propriè sit, & quòd bene-

beneuolentia aut voluntas accuratè loquendo non possit esse genus, paulo post dicetur.

Est ergo amicitia vel perfectè vel imperfectè dicta.

Perfectè dicta, est vnio duorum sibi mutuo notorum, orta ex mutua & efficaci beneuolentia, quam peperit consensus & conspiratio in vera virtute morali, ad exercitia virtutis facilius & rectius obeunda.

Ponimus ergo Amicitiam in Relatione, non autem in Qualitate vel Passione. Nec placet prolixè disputare de genere amicitiæ, cum hanc quæstionem diducte admodum tractarit Picol. Grad. 7. P. M. c. 8. Illud saltem monemus, amicitiæ genus non posse esse virtutem sicut nec beneuolentiam; quia hæ sunt causæ amicitiæ. Nam ex virtute oritur amicitia, sicut etiam ex beneuolentia mutua: ideo Aristoteles libro 8. Ethicorum capite 1. dicit amicitiam habere cognationem cum virtute: Aliud autem est cognatum rei, aliud genus rei. Cicero in Dialogo de amicitia ad relationem etiam retulit amicitiam, cum eam sic definit: Amicitia nihil aliud est quam diuinarum humanarumque rerum cum voluntate summa consensio, vbi quidem generaliter amicitiam definit, & non tantum eam quæ est moralis. Cæterum de genere amicitiæ veterum opiniones varias recenset Aristoteles libro. 8. cap. 1. Ethicor. vbi quidem non planè reiicienda est ea opinio veterum, qui dixerunt amicitiam esse similitudinem, si nempe per similitudinem intelligatur vnio.

Canones de amicitia perfecta sunt hi.

1 *Dicitur hæc amicitia perfecta, quia versatur inter verè bonos, & tendit ad bonum perfectius, nempe ad honestatem, & denique quia honestatem sic includit, vt incunditatem & vtilitatem non excludat, atque adeo complectitur in se omnia* φιλητὰ, *nempe honestum, & iucundum, & vtile.*

Aristoteles lib. 8. cap. 3. ferè sub finem.

2 *Amicitia*

2 *Amicitia perfecta non potest esse nisi inter bonos & honestos viros, quia eius fundamentum seu causa efficiens est virtus.*

Aristoteles citato loco, & præterea c.4. seq. vbi primum hoc discrimen esse dicit, inter amicitiam honestam & inter duas alias amicitias, nempe iucundam & vtilem, quod amicitia honesta tantum sit inter bonos viros, iucunda autem & vtilis etiam inter improbos.

3 *In amicitia honestâ amici sunt simpliciter & per se amici: in alijs autem amicitiis sunt amici per accidens siue propter aliud, nempe propter voluptatem & vtilitatem.*

Aristoteles sub finem cap.4. libr.8.

4 *Causa efficiens remotior amicitiæ est beneuolentia, quæ tamen longè latius patet & se extendit extra amicitiam, ita vt non omnis beneuolentia statim faciat amicitiam.*

Aristoteles libr. 9. cap.5. hoc vnicè agit, vt beneuolentiam cum amicitia conferat, & dicit beneuolentiam quidem esse ἀρχὴν τῆς φιλίας, *principium amicitiæ*: sed tamen differre ab amicitia: 1, quia beneuolentia possit esse occulta: id est, possim alicui benè velle, etiamsi id dissimulem propter certas causas: in amicitia autem nihil debet aut potest esse occultum, 2. quia beneuolentia etiã possit esse otiosa & sterilis officiorum & benefactorum, amicitia non item. 3. quia beneuolentia etiam esse possit erga ignotos aut saltem famâ notos, amicitia autem non nisi erga notos.

5 *Non etiam omnis amor facit amicitiam, sed talis, qui sit ardentior, & qui sit efficax certis officiis.*

Aristoteles citato loco distinguit inter beneuolentiam & φίλησιν, siue amationem aut amorem: quia, inquit, beneuolẽtia potest subito oriri, & est propensio quædam erga alium quæ potest etiam esse absque cupiditate eidem benefaciendi, aut cum eodem versandi; φίλησις autem est affectus. 1, vehementior. 2. talis qui non subito existit, sed opus habet longiori mora temporis & diuturniori conuersatione. 3. talis, qui

qui habet desiderium benefaciendi ei quem amat,& cum eo frequenter conuersandi.

6 *Nec tamen amor efficeret amicitiam nisi foret mutuus,atque adeo duplex,actiuus nẽpe & passiuus.*

Aristoteles 8.Ethicor.cap.5.distinguit etiam inter φίλησιν, siue amorem & inter φιλίαν: dicitque quod φιλία adhuc sit quiddam constantius,& quod requirat ἀνταφίλησιν, *redamationem*:possum enim ego vehementer aliquem amare & habere ardens desideriũ ei benefaciendi,cumque eo conuersandi,qui tamen nõ amat me, neque cupit mihi benefacere aut mecum frequenter esse:accedit & hoc,quod φιλησις se etiam extendat ad res inanimatas, & quod sæpè non habeat coniunctam ἀφοαίρεσιν: & denique quod possimus esse præditi hoc affectu non tam propter eum quem amamus, quam propter nostram cupiditatem aut voluntatem,quæ omnia sanè sunt contra naturam perfectæ amicitiæ.

7 *Actiuum amorem vocamus eum quo alterum diligimus,passiuum verò quo ab altero diligimur.*

Atistoteles libr.8.cap.8. distinguit amorem in actiuum & passiuum,& dicit amicitiam esse in τῷ φιλεῖν καὶ φιλεῖσθαι.

8 *Sicut autem omnis actio est præstantior passione, ita quoque præstantior vis amicitiæ est in eo, vt quis amet, quam vt ametur.*

Citato cap. dicit Philosophus: videtur quod præstantius quid sit in amicitia amare quam amari,idque propterea,quia actio est præstantior passione, & laus virtutũ in actione consistit.Deinde probatur idem à pari;matres magis gaudent eo amore,quo liberos amant,quam altero, quo à liberis amantur. Vbi simul pulcherrimum Problema mouet Aristoteles, *cur plerique homines malint amari quam amare*;& respondet id fieri propter insitam cupiditatem honoris, quia persuasi sunt eum qui amatur, honorari eo ipso dum amatur, & sic amorem appetunt propter honorem, putantes, quod honor sit præstantior amicitia,quod tamen est falsum.

9 φιλαυτία *siue amor sui ipsius, est causa efficiens & fundamentalis veræ amicitiæ: idcirco etiam officia,*

quæ

quæ amicus amico debet exhibere, mensuranda sunt ex amore nostri ipsius, ita nempe, vt cogitemus quod amicus sit alter idem, &, per consequens, quod ita eũ amare debeamus vt nos ipsos.

10 *Sicut ergo is qui seipsum rectè amat, sibi ipsi benè vult, benè facit, congaudet, cohabitat, condolet, suam denique felicitatẽ ante omnia expetit: ita quoque hæc omnia verus amicus vero amico præstare debet. Vnde etiam nemo alteri potest esse amicus, nisi sit vir bonus, quia solus vir bonus seipsum rectè amat.*

Eximia disputatio Arist. de mensura veræ amicitiæ est li. 9. Eth. c. 4. vbi ait φιλαυτίαν esse fundamentum, vnde oporteat veræ amicitiæ proprietates & officia petere. Quô etiam Cic. respexit 1. de Leg. vbi inquit: *In amicitia vera necessarium est, vt quis nihilo sesè plus quam alium diligat: cuncta enim debent esse paria: tanta siquidem est vis amicitiæ, vt simulatque sibi aliquis quam alteri benefacere maluerit, nulla sit amplius amicitia.* Scalig. pulcherrimis versibus id indicauit.

Non est tibi, quisquis sibi nescit esse amicus,
Verum neque sit, qui sibi vult nimis se amicum.

Agit etiam de φιλαυτία siue amore suiipsius Aristoteles libr. 9. c. 8. sed ista tractatio aliô pertinet, nempe ad principia virtutis, inter quæ de amore nostri ipsius quantum satis fuit, egimus. Hoc lõco de eo tantum monere sufficit, quantum pertinet ad fundamentum & mensuram amicitiæ intelligendam.

11 *Porro talis beneuolentia & talis amor requiritur ad amicitiam, quæ sit efficax per beneficentiam: neque enim solum debemus amico benè velle, & omnia bona precari amico, verum etiam hanc nostrã affectionem rerum testimoniis probare.*

Ita Aristoteles sub initium cap. 7. lib. 9.

12 *Magna vis est amicitiæ in beneficentia actiua,*

ua, id est, in eo, vt quis alteri benefaciat, minor autẽ in eo, vt quis ab altero beneficiũ accipiat: quia benefactores videntur magis amare eos quibus benefecerunt, quam illi, quibus benefactum est, ament suos benefactores.

Acuta & speciosa disputatio est in isto c. 9. quod tutores magis ament suos clientes, siue eos, quibus benefecerunt, quam ipsi clientes siue quibus benefactum est, ament eos, à quibus beneficium acceperunt: idque probat 5. argumentis. Primum argumentum est, quia is qui beneficium accepit, est quasi opus & factura benefactoris: omnis autem artifex magis amat suum opus, quam opus amet artificem, & omnis causa magis amat suum effectum, quam effectus suam causam, id quod magna pietate accommodari potest ad Deum, qui cum sit infinitus, primus & summus benefactor noster, ideo summè & infinitè nos amat magis quam nos ipsum amemus. 2, quia honestum magis est amabile quam vtile: atqui benefacere est honestatis, accipere autem est vtilitatis: Itaque benefaciens magis amat, quam beneficia accipiens. 3, quia, quod magis est durabile, id magis est amabile: Honestas autem est magis amabilis. Idcirco benefaciens semper habet in memoria honestatem, beneficium autem accipiens vtilitatem tantum sentit: vtilitas autem cito perit, ideo minus amat. 4. quia benefacere magis accedit ad amorem actiuum, qui est præstantior: beneficium autem accipere accedit ad amorem passiuum, qui est minor amor: denique quod est difficilius, ex eo maior amor oritur: atqui benefacere est difficilius, laboriosius & sumptuosius quam beneficiũ accipere. Ergo, &c. Paulo pòst sub finem cap. mouet quæst. an recte dicant illi qui dicunt, *benefactores ita amare suos clientes, sicut creditor suum debitorem*, respondeo eos non recte dicere, propterea quod non bona sit comparatio: causa enim amoris eius qui est in benefactore erga beneficiarium, diuersa est & dissimilis isti causæ amoris, quæ est in creditore erga debitorẽ. Nã creditor propterea veluti demulcet debitorẽ, eique multum indulget ad tempus, vt ab eo suum debitum recipiat, id est, amat eum propter vtile, imo etiam propriè non amat, sed tantum externam propensionem & indulgentiam ei præbet,

præbet, donec ſuum debitum recipiat. Cæterum pertinet ad hunc canonem locus Ariſtotelis. 2. Rhet. cap. 4. vbi inquit: *Amicitia ex iis maximè cauſis gignitur, ſi gratis beneficium dederis, ſi non rogatus, ſi te dediſſe non euulgaueris.*

13 *Poſt beneficentiam, inter cauſas amicitiæ nominatur ὁμόνοια, concordia, ſiue conſenſus animorũ in ſententiis ad virtutem, & eius exercitium pertinentibus.*

Ariſtoteles c. 6. libr. 9. tractat de concordia, ſiue conſenſu animorum, tanquam de eo quod ſit maximè φιλικὸν q.d. maximè amicitiam ſanciens & conſtituens. Ex quo loco definitur etiam concordia, quod ſit conſenſus mentis & voluntatis in rebus grauibus & vtilibus, pertinentibus ad publicam vel priuatam conſentientium vtilitatem in rebus talibus, quæ per nos effici aut comparari poſſunt. Idcirco vt ſupra allegauimus, Cicero definit amicitiam, quod ſit conſenſus diuinarum humanarumque rerum. Et in 1. de Leg. inquit, *Omnis amicitiæ vis in voluntatis, ſtudiorum, & ſententiarum conſenſu poſita eſt.* Et Syl. Italicus libr. 9. de bello Italico, amicos pulchrè definit.

Velle & nolle ambobus idem, ſociataque lato
Mens æuo, ac paruis diues concordia rebus.

Et Terentianum illud notum eſt: *Idem velle & idem nolle, ea demum eſt firma amicitia.* Vnde & amicitia deſcribitur, quod ſit *vnus animus in duobus corporibus.*

14 *Differt autem ὁμόνοια ab ὁμοδοξία, ſiue opinionum conſenſu, quia ὁμόνοια non eſt niſi inter notos & eos qui amicitiam vel colunt, vel colere poſſunt: ὁμοδοξία autẽ poteſt etiam eſſe inter ignotos & inimicos. Præterea, quod diſcrimen maximum eſt, homonœa eſt conſenſus mentis practicus ad ciuilem ſocietatem, atque adeo ad res gerendas pertinentibus: Homodoxia autem eſt conſenſus ſententiarum magis ſpeculatiuarum, ſiue opinionum ad artes & ſcientias pertinentium.*

Ita accuratè Ariſt. & vtiliter diſtinguit inter Homon. &

Homod.non longè ab initio c.6.libri 9.

15 *Hinc ergo sequitur, posse amicitiam veram etiam inter eos esse, qui in disputationibus nonnullis artium & scientiarum dissentiunt.*

Vnde illud:

Non eadem sentire bonos de rebus iisdem,
Incolumi licuit semper amicitia.

Et illud præclarum Hor.

Fraternis animis, quicquid neget alter & alter,
Annuimus pariter.

16 *Concordia autem inter solos bonos est, inter malos verò nulla propriè esse potest.*

Ponit hunc canon. Arist. sub fin. cap. dicti, & addit: viri boni cum aliis possunt esse concordes: 1, quia ipsi sunt secum concordes, ideo facilè possunt cum aliis concordiam colere. 2, quia viri boni sunt constantes & firmi in proposito & perseuerant in suis consiliis, dictis & factis, neque habent voluntates instar Euripi fluentes & refluentes: denique viri boni nihil cupiunt, nisi quod sit honestum & vtile, non tantum priuatim, sed etiam publicè. Cõtra verò inter malos non potest esse concordia. 1, quia improbi non sunt secum ipsi concordes, sed se intus oderunt, prout supra audiuimus in doctrina de philautia. 2, quia mali habent animum mutabilem & fluctuantem instar Euripi: & denique quia vnus malus hoc cupit, alter illud, dum quilibet suas vtilitates & cupiditates, id est multa & varia, non autem vnam honestatem, spectant: vnde fit, vt ipsi inter sese sint seditiosi. Addit autem quod mali nõ possint esse cõcordes πλὴν ἐπὶ μικρόν nisi parum, i. possunt esse concordes concordiâ ambiguè dictâ. 2, concordes quoad iucundum vel vtile aliquod, sed non quoad verum bonum. 3 concordes ad paruum tempus.

17 *Amicitia latius accepta est necessaria simpliciter ad viuendum, i. sine amicitia ne viuere quidem possumus.*

Aristoteles lib 8. Ethicor. cap. 1. pulchrè disputat, quod amicitia necessaria sit omnib. hominibus etiam ad viuendum.

non

non tantum ad bene viuendum, & quidem neceſſaria omnibus ætatibus. Nam 1. inquit, infantibus & pueris neceſſaria eſt πρὸς τὴν τροφὴν & παιδείαν, id eſt, ad nutritionẽ & educationem: Niſi enim amarentur, nunquam nutrirentur & educarentur. Adoleſcentibus autem neceſſaria eſt πρὸς τὰς καλὰς πράξεις, id eſt, ad promotionem rerum præclarè gerendarum. Senibus autem πρὸς τὴν θεραπείαν καὶ βοήθειαν, ad ſubleuandam imbecillitatem eorum: Diuitibus πρὸς τὴν φυλακὴν καὶ χρῆσιν, vt opes ſuas rectè poſſint poſſidere, iisque frui. Pauperibus denique πρὸς τὴν καταφυγὴν, ad ſubſidium & ſolatium aduerſus egeſtatem & miſeriam. Sed hæc dicuntur de amicitia latè accepta ſiue amore.

18 *Amicitia propriè dicta, etſi non eſt neceſſaria ad ſimpliciter viuendum, tamẽ eſt neceſſaria ad benè viuendum: id eſt, ad conſequendam felicitatem ciuilem, eamque tum fouendam tum ornandam.*

Ariſtoteles dicto capite probaturus amicitiam plurimum cõferre ad benè beatèque viuendum, inquit quod Philoſophi in eo conſentiant, benè beatèque viuere idem eſſe ac ſecundum naturam viuere. Amicitia autem maximè eſt ſecundum naturam. Quod patet, quia amor maximè eſt ſecundum naturam: quod etiam ipſæ beſtiæ teſtantur, non ſolum homines. Sed lib. 9. c. 9. rem hanc ſolidius & plenius tractat. Prima ergò ratio eſt, quia amici ab omnibus hominibus habẽtur inter genera bonorum, ſicut etiam Herod. Inquit: *omniũ poſſeſſionum pretioſiſſ. eſt amicitia.* Altera ratio eſt, quia oportet beatum ſiue virtutis actionem obeuntem habere obiectũ in quod, & cauſas ſocias, per quas poſſit exercere virtutis actiones. De qua re Marſilius Ficinus pulcherrimè inquit, quod natura amicitiæ conſiſtat in duobus, nempe in eo primo, vt communi auxilio exerceatur bonum. Tertia ratio eſt, quia amici conuerſatio & conuictus amico præbet iucunditatem, ita nempe vt id quod nouit & quod habet iucũdũ, poſſit cum eo communicare. Quam rationem habet Ariſt. ſub. fin c. 9. & de qua Cic. ita inquit: *Fructus ingenii & virtutis omnis tum demum capitur, cum in proximum quemque confertur.* Archytas Tarent. fertur dixiſſe: *Si quis cælum aſcendiſſet*

isset, naturamque mundi & pulchritudinem syderum aspexisset, insuauem illam admirationem ei futuram, nisi aliquem haberet, cui id narraret.

19 *In vtraque fortuna opus est amicis, tam secundâ quam aduersâ. Quamuis in aduersa fortuna præcipuè emicet amicitia.*

Arist. libr. 9. c. 11. docet, quod amicis sit opus in vtraque fortuna, in secundâ quidem, vt habeamus in quos exerceamus virtutem, & cum quibus nostram prosperitatem communicemus: In aduersa verò, vt nobis adsint consilio & auxilio. Idcirco in aduersis maximè esse appetendos amicos dicit, quia possunt maximè esse vtiles, cum iucundi amici tantum esse possint in fortuna secunda. Itaque amicitiæ proprietas maximè in actum sese exerit, cum res sunt aduersæ, de qua re nolo multas citare sententias, tantum Lucretii locum lubet ascribere ex lib. 3.

Quo magis in dubiis homines spectare periclis
Conuenit, aduersisque in rebus noscere qui sint.
Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Eiiciuntur, & eripitur persona, manet res.

Plura videri possunt apud Senec. Epist. 3.

20 *Etsi autem amico alterius amici præsentia sit iucunda in vtraque fortuna, quia ei affert vel gaudium vel solatium: tamen in aduersa fortuna amico amici præsentia ingrata est, quia amicus amico non vult præbere causam tristitiæ.*

Arist. dicto cap. dicit hanc esse naturam amicitiæ, quod vnus amicus alterum non libenter velit contristatum, idcirco præsentiam eius non ita libenter admittat, quando sentit se esse in magna aliquâ calamitate constitutum.

21 *In secunda fortuna amici statim sunt vocãdi, vt eos cito participes reddamus nostri gaudii & felicitatis: in aduersa verò fortuna tardius sunt accersendi, & tum demum, quando paruo suo incommodo possunt nobis plurimum commodare.*

22 *Sed amicus amicum conuenire debet in aduersa fortuna maturè, nec exspectare, dum ab amico vocetur. Hoc enim amico futurum est gratius, tibi verò honestius: In secunda autem fortuna gratulandi quidem causa potes amicum citius visitare, sed tardè accipiendi beneficii causa.*

Hos canones prudentiæ in amicitia colenda præscribit Aristoteles dicto cap. 11. lib. 9. & præscribit duos actus amicitiæ, quorum vnus est aduocare amicum, alter visitare: & discretè præcipit quid vtraque fortuna circa vtrumque actum sit faciendum, & quam sit vitanda importunitas tum in visitando, ne illud audiamus: *amici fures temporis*, tum in aduocando, ne nobis exprobretur, *amicum vocari etiam cum dens dolet.*

23 *Cum ergo priuatos in vtraque fortuna iuuet amicitia, & Respubl. priuatorum collectione constet, sequitur amicitias valdè conseruare Respub.*

Hanc proprietatem & effectum amicitiæ tribuit Aristoteles libro 8. Ethicorum capite 1. vbi inquit, *Ciuitatibus necessariæ sunt amicitiæ, quia per eas constituuntur & conseruantur:* quod probatur testimonio Legumlatorum, qui in suis legibus vehementer id egerunt, vt ciuium contubernia & amicitias fouerent. Nam inter quos amicitia colitur, inter eos locum non habent iniuriæ: &, per consequens, facilius manent in æqualitate, cuius maximum est momentum ad conseruandas ciuitates. De quare Bodinus disputat adducto exemplo Heluetiorum, qui in omnibus pagis & ciuitatibus publicas velut aulas condiderunt, in quibus ciues frequenter conuenirent ad fouendam coniunctionem. De quâ re in Politicis D. v. latius.

24 *Non omnia interim amicis sunt tribuenda, neque est aliquid mali agendum in amici gratiam.*

Aristoteles libro 9. cap. 1. *Amicitia*, inquit, *non nisi ex virtute morum nascitur.* Et libro 8. capite 3. *Sola bonorum &*

virtute similium amicitia perfecta est. Ideo Pericles dixit, *Gratificandum amicis, sed ad aras*; de quâ re vide Dan. cap. 7. de amicit. & Gell libr. 1. c. 3. & reprehenditur Cic. cum dicit, in gratiam amicorũ declinandum esse de via: immemor nempe quid libr. 3. Officior. monuisset, inquiens: *Cum in amicitia, quæ honesta non sunt postulantur, religio & fides anteponenda est amicitiæ.*

25 *Vera amicitia est durus bolus, & res difficilis.*

Primò ratione formæ, quia requirit culturam omnium virtutum & quodammodo est omnis virtus, continens in se prudentiam, iustitiam, mansuetudinem, liberalitatem, &c. 2, ratione obiecti, quia homines, cum quibus colenda est amicitia, sunt infirmi, sunt varii, instabiles & tales, quos non explores, nisi diuturno tempore.

26 *Perfecta amicitia est rarissima in humano genere.*

Aristoteles hanc esse proprietatem ait perfectæ amicitiæ, quod sit rara, libro. 8. capite. 3. vbi duas affert rationes. 1, quia tantùm est inter bonos: bonorum autem virorum magna est raritas & exiguus numerus, secundum illud Poëtæ: *Rari quippe boni*, &c. 2, quia raro quis tam diu viuit, vt eum possimus exactè explorare. Hoc est, quod Cicero dicit: *Ex omnibus seculis vix tria aut quatuor paria verorum amicorum fuerunt reperta, quæ paria sunt hæc: 1. Theseus & Perithous. 2. Achilles & Patroclus. 3. Oresles & Pylades. 4: Damas & Pythias* Quibus additur quintum par, *AEneas & Achates.* In sacris literis est celebre par, *Ionathan & Dauid*, 1. Reg. 18

27 *Ad amicitiam requiritur prudentia, iustitia, & inprimis veritas, quæ continet candorem & libertatem.*

Aristoteles lib. 8. c. 1. vbi dicit: Iustitiam esse partem quandam amicitiæ, quod idem repetit eodem libro, c. 7. & sanè multi Ethici amicitiam referunt ad iustitiam: quia oportet esse æqualitatem in officiis præstandis, & oportet reddi par pari, vt non minus ames quàm ameris. Quod

autem

autem ad veritatem & candorem attinet, vtpote qui parit libertatem, certum est, nullum esse magis proprium amicitiæ munus quam libertatem in dicendo & monendo, sicut Cicero inquit in Lælio: *Vera amicitia monet & monetur, sed alterum facit liberè, alterum patienter accipit, non repugnanter.* Item, *Cuius aures clausæ sunt veritati, vt ab amico vera audire nequeat, eius salus desperanda est.* Item, *Nulla in amicitiis capitalior pestis, quam assentatio, blanditiæ, adulatio vitiorum adiutrix:* Vt magni facienda sit vox istius, qui dicebat: *Amico me vteris si voles, non adulatore.*

28 *Vera amicitia etsi præcipuè honestatem spectet: tamen & reliqua habet* φιλητὰ, *nempe & vtilitatem & iucunditatem suam, eamque maximam.*

Aristoteles lib. 8. c. 3. dicit perfectam amicitiam ab imperfecta eo potiss. differre, quod perfecta amicitia in se contineat omnia φιλητὰ, quod idem postea disertius explicat seq. cap. 4.

29 *In amicitia perfecta non est locus querelis, calumnijs & suspicionibus.*

Aristoteles dicto cap. 4. lib. 8. hoc quoque proprium tribuit veræ amicitiæ, quod sit ἀδιάβλητος, i. non obnoxia suspicionibus, nec dans locum calumniis, cum reliquæ amicitiæ, quæ tantum vtili & iucundo constant, plurimas & infinitas habeant occasiones & causas rixarum, suspicionum & calumniarum. Et eodem c. 4. reddit rationem eius rei; quia, inquit, non facilè quicquam alicui creditur de eo, quem ipse diu probaris & spectaris. 2, quia amicus verus vero amico maximè credit: Et 3, quia ab vtroque summa diligentia adhibetur, ne alter ab altero iniuria afficiatur; conglutinat enim ita amicitia amicorum officia, vt certent inter se officiis, offensiones autem abominentur. Et cap. 13. eiusdem lib. probat, quod in amicitia honesta nullæ oriantur querelæ: quia verò amicus seruat æqualitatem, æqualitas autem vt Prouerb. dicitur, non facit bellum: Gleich recht macht keinen krieg. Pertinet huc illud Senecæ: Epist. 3. *Si aliquem amicum existimas cui non tantum credis, quantum tibi, vehementer erras, & non satis nosti vim veram amicitiæ.*

30 *In amicitia requiritur conuictus & conuersatio crebra.*

Libro 8. c. 5. Aristot. hunc canonem ponit, & affert 5. rationes; quarum 1. est, quia sine conuersatione non potest esse mutua officiorum recompensatio, quæ est essentialiter propria amicitia. 2, quia inter quos vel nulla vel rarior est conuersatio & collocutio, in eorum amicitiis facilè suspicio oritur & diffidentia, & tandem plenaria obliuio & dissolutio amicitiæ; sicut dicitur ἀπροσηγορία πολλὰς φιλίας διέλυσε, *silentium multas amicitias dissoluit.* Et Germani dicunt: **Kombstu mir auß den augen, so kombstu mir auch wol auß dem herken**: Itaque inter amicos absentes crebrum requiritur commercium literarum. 3, ratio est, quia amici conuersatio necessaria est in vtraque fortuna; in secunda quidem ad iucunditatem, in aduersa vero ad auxilium & solatium, & vita solitaria in vtraque fortuna est molesta: ac absurdum est beatum velle facere solitarium, vt præclarè Aristoteles inquit lib. 9. cap. 9. quia nemo, inquit, velit vel omnibus bonis affluere hac conditione, vt solitariè viuat, cum homo sit animal ciuile à natura factum ad societatem. Quarta ratio est, quia videmus Iuuenes propterea ad conciliandam amicitiam esse aptos, quod sint in conuersando amabiles, contrà senes non esse aptos ad amicitiam, quia sunt morosi & solitarii. Repetit hanc disputationem Arist. li. 9. c. 12. vbi inquit, conuersationem & conuictum requiri ad amicitiam 1. quia amici conspectus amico valde est iucundus. 2. quia omnis societas requirit conuersationem. 3. quia ex conuersatione amicus cognoscit suum amicum esse incolumem, quo nihil est ei gratius. 4, quia possunt inter se amici per conuersationem exercere studia virtutis & alter per alterũ fieri melior, in quo tota consistit amicitiæ essentia. Addit ibidem quod ad contrahendas amicitias necessaria sit conuersatio, quia per conuersationem paulatim nascitur morum & studiorum similitudo, quæ efficaciss. gignit amicitiam. Sed grauis hîc obiectio oritur, quam Aristoteles proponit & soluit dicto cap. 5. lib. 8. *An ergo nunquam possit abesse amicus ab amico? &, An amicitia non constet inter homines diuersis vrbibus & regionibus viuentes:* Respondet per distincti-

distinctionem, quod amicitia consideretur vel κατὰ τὴν ἕξιν, secundum habitum & propositum voluntatis, vel κατ' τὴν ἐνέργειαν, secundum actum: Priori modo posse esse amicitiam inter absentes: Posteriori autem modo tantum inter præsentes. Vbi tamen addiderim, quod secundum ἀναλογίαν, etiam sit actualis amicitia inter absentes, quia literæ, quæ inter absentes mutuo scribuntur, analogiâ respondent colloquio, & conuersationi, quæ est inter præsentes. Sub finem notetur memorabile dictum Plutarchi, quod est in opuscul. eius de πολυφιλίᾳ: ἡ ἀληθινὴ φιλία ζητεῖ τρία· 1. τὴν ἀρετὴν ὡς καλὸν. 2. τὴν συνήθειαν, ὡς ἡδύ. 3. τὴν χρείαν ὡς ἀναγκαῖον. *Vera amicitia requirit tria: 1, virtutem tanquam honestum, 2, consuetudinem tanquam dulce. 3, mutuam operam tanquam necessariã.*

31 *Senes minus sunt idonei ad colendam amicitiam quàm iuuenes.*

Bis hunc canonem adducit Aristot. nempe c. 5. lib. 8. & sub initium c. 6. 1. quia senes sunt queruli; vera autem amicitia non patitur querelas. 2. quia senes sunt δύσκολοι, morosi, & propterea inepti ad conuersandum.

32 *Ne cito alicui fias amicus, quia ad veram amicitiam opus est tempore & consuetudine vitæ longiori.*

Iam porro aliquot Canon. subiicemus de ratione contrahendæ & conseruandæ amicitiæ: vbi 1. monitum est Aristot. quod non facilè & cito amicitiam debeamus contrahere, sicut præclarè dicit lib. 9. Ethic cap. 3. Opus est tempore & consuetudine longiori: & verum est commune Prouerb. *Multos modios salis vnà edendos, vt homines inter se veram amicitiam contrahant*: h.e vt se rectè nosse discant: Et addit rationem; quia, inquit, prius explorare oportet, an alter alterius amore dignus sit: & 2. an tuto alteri fidere possis. Sunt enim hi nerui & artus sapientiæ non facilè fidere, vt dixit Epicarmus:

Constat in hoc nerno sapientia, fideri nulli;
Aut, si vis vlli fidere, fide parũ.

Hoc est, quod Cicero dicit in oratione pro Marcello: *In animis hominum multæ sunt latebræ, multi recessus.* Item ad Quintum fratrem: *Multis simul dubitationum inuolucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur vniuscuiusque natura; frons, oculi, vultus persæpè mentiuntur.*

33 *Vera*

33 *Vera amicitia est stabilis.*

Aristoteles lib.8. c.8. dicit amicitias bonorum maximè esse stabiles. 1, quia amici se maximè amant κατ' ἀξίαν, secundum dignitatem & meritum, & per consequens, maximè accedunt ad vnitatem & veritatem: quæ tanquam reciproca cum ente & bono est maximè conseruatiua sui ipsius. 2, quia sicut viri boni sibi maximè sunt similes, & in proposito suo constantes: ita quoque constantes sunt in amandis aliis. 3, quia neque viri boni turpe aliquid, quod amicitiam dissoluat, patrant, neque tale aliquid postulant ab aliis; contrà autē amicitiæ improborum sunt instabiles propter contrarias causas. Seneca inquit: *Amicitia quæ cessat, nunquā vera fuit.* disserit de eo præclarè Dan. libro De amicitia: vbi inquit, veram amicitiam etiam durare post mortem amici in eius liberos & posteros: & reprehendit Dauidem, qui in filium Ionathanis fuit durior. Disputat etiam de eo, quod Bianti tribuitur, quo dicitur, *Sic ames tanquam osurus aliquando*, dicitque hanc vocem esse pessimam: sed existimarim tamen hac voce nihil præcipi, nisi cautionem & prudentiam in colenda amicitia, vt nempe semper memores simus infirmitatis humanæ, & cogitemus virum bonum posse fieri malum, i, talem, cuius amicitia sit dissoluenda, vt paulò pòst audiemus.

34 *Tolerandi sunt næui amicorum, sed interim scelera non sunt toleranda; idcirco etsi perfectæ amicitiæ sint stabiles, nonnunquam tamē sunt dissoluendæ, primario quidem propter hanc causam, si amicus manifestè improbus euadat: secundario verò ob alterā causam, si rebus ex virtute gestis aut aliis bonis ita te amicus superauerit, vt vitæ institutum planè commutet, sic vt mutua officia exerceri amplius nequeāt.*

Primò canon dicit, *Tolerandos esse nævos amicorum*, secundum illud vetus: *Amici vitia noueris, non oderis*: Amicitia enim mores amici tolerat non insigniter deformes & sæpe multa dissimulat, quod Græci eleganter dicunt, φίλον τεθνηκότα φορεῖν, *moriferre amicum*. Sed aliud est nævos ferre, aliud scelera & flagitia: Nam si hæc accedant, dissoluenda est amicitia,

micitia,idque propterea, ne tibi ipsi noceas,quia si cum improbo conuerseris,improbitatis notam effugere non potes: Tales namque habemur ab omnibus, quales ij sunt, cum quibus conuersamur. Plinius libro vigesimo secundo,capite primo : *Torpedo piscis*, inquit,*haud nocet nisi contactu, & virus suum etiam ab aere per linum & arundinis internodia ad piscatoris manum mirè transmittit : Sic improbi & pestilentes haud nocent, nisi cum ijs habeas commercium, & quocunque consuetudinis contactu morum venena afflant.* Atque hæc est primaria causa dissoluendarum amicitiarum, quam Aristoteles recenset libro nono, capite tertio : vbi inqnit,dissoluendas esse amicitias,cum animaduertimus amicum callidè & fraudulenter simulatione virtutis sese in amicitiam nostram insinuasse,& propter aliam causam nos amare, quàm præ se tulerat. Secundariam causam deinde etiam addit, *si* oriatur summa inæqualitas & amicus fiat nimis potens, aut ascendat ad summum honoris fastigium, ita vt non possis eo quo antea modo cum eo conuersari.

35 *Si propter insignem aliquam improbitatem renunciamus amico, tunc statim relinquendus est: si verò propter aliam aliquam causam amicitiæ alicuius resignamus,non statim omnia ei officia deneganda sunt, sed si operâ nostrâ indigeat, ei potiùs quam alteri officia nostra præstanda sunt.*

Aristoteles sub finem dicti capitis. Et Cic. inquit : *Amicitiæ,quæ non placent, dissuendæ magis quàm discindendæ sunt.*

36 *Non sunt multi comparandi amici, siquidem multitudo amicorum neque ratione honestatis, neque ratione iucunditatis vel vtilitatis exoptanda est.*

Aristot.libro 8.cap. 5. ita inquit: *Perfecta amicitia vni cum multis intercedere non potest* ; & addit rationes. 1 ,quia vera amicitia posita est ἐν ὑπερβολῇ, i. in excellentia quadam & summo gradu amoris ; quod autem est in excellenti gradu, id ad vnitatem accedit. Altera ratio est,quia in vera amicitia alter debet valdè placere amico: vnus autem pluribus non ita valdè placere potest : imò qui studet omnibus placere,is tandem

dem nemini placet, & qui vult omnibus esse amicus, tandem nemini est amicus. 3, quia amicitia tantum est inter bonos viros qui sunt pauci. Denique ad veram amicitiam opus est longo tempore & diuturna exploratione; plures autem difficulter explorare possumus. Eandem doctrinam tractat Aristoteles toto cap. 10. libri 9. vbi ex isto Hesiodi, Poetæ Græci sapientiss. præcepto; μήτε πολύξεινον, μήτε ἄξεινον καλέεσθαι; hoc est, *neque multorum neque nullorum hospes vocari debes.* Concludit Aristoteles virum bonum neque ἄφιλον neque πολύφιλον esse debere: atque idcirco duo extrema vitanda esse nempe ἀφιλίαν & πολυφιλίαν, & dicit: Neque si vtile spectes, habendos esse multos amicos, neque si iucundum: Ratione vtilitatis non est bona πολυφιλία, quia pluribus velle inseruire & largiri hoc est detrimentosum nostris facultatibus, & valdè nos impedit in reliquis vitæ actionibus rectè expediundis; id Plutarchus in Apopht. pulchrè explicat similitudine. *Vt fluuius*, inquit, *in multos deductus riuos fluit tenuis ac languidus, sic benevolētia in multos distracta languescit* Ratione autē iucūditatis non esse amandā πολυφιλίαν, probat Arist. ex eo, quod multi amici nobis potius tædiū quam voluptatem afferant; idque suauiss. similitudine illustrat; Amicis in vita vtendum est vt condimentis in cibo; condimentorum autem ista est proprietas, vt si parcè aspergantur, reddant cibos suauiores, si verò in summa copia assumantur, summam nauseam parent vescentibus. Deinceps rationes de honesta amicitia affert, quod neque honestatis respectu amicitia cum multis colenda sit; quia, inquit, ea officia quæ ad veram amicitiam requiruntur, non possunt esse inter multos; vt est consentire, moribus similem esse, summo amore complecti, in vtraque fortuna præstò esse tam dolendo quam gaudendo. Reliquæ rationes conueniunt cum illis, quas recensuimus ex lib. 8.

37 *Illi qui hoc operam dant, vt pluribus sint amici, potiùs ἄρεσκοι, quam φίλοι, sunt dicendi.*

Sub finem 5. cap. Aristoteles discernit inter ἄρεσκον & φίλον; & dicit eos qui pluribus studeant esse amici, non esse amicos vocandos, neque haberi tales à vulgo.

38 *Quantus autem numerus esse debeat amico-*

rum

rum, id æstimandum est ex cõmoditate conuersationis & mutua officiorum communicatione: quæ duo si rectè perpendas, reperies veram amicitiam vix inter plures esse posse, quam duos.

Ita determinat Aristot. dicto cap. 6. lib 8. Et Plutarchus in præclaro libello περὶ πολυφιλίας. Cicero dicit: *Omnes habere amicos nimis operosum est, satis est inimicos non habere.* Hîc obiectio oritur. Cum enim amicitia sit maximum inter externa bona, vt dicit Aristot. lib. 9. cap. 8. Itẽ cum amici, qui est alter idem, proprium sit ea supplere, quæ quis à seipso habere non potest, vt ibidem egregiè Arist. dicit, & verò bonum quo est latius, eô est melius; cur ergo amicitia lata non probatur? Respondetur id fieri non ex natura boni, sed propter circumstãtias in hac vita certas personarum, locorum, & temporum.

CAP. VLTIMVM.

De amicitia imperfecta, quæ est ex iucundo & vtili.

HVcusq; de amicitia perfecta: Restat imperfecta, quæ per similitudinem amicitiæ perfectæ & constituitur & denominatur.

Supra diximus amicitiam esse genus imperfectum, & solam illam amicitiam quæ est ex honestate, perfectam amicitiam dicendam esse, vt Aristoteles docet lib. 8. c. 4. vbi inquit: *Plures sunt species amicitiæ, sed vna tantum est per se.* Et eod. lib. c. 3. ait. *Amicitiam ex iucundo & vtili esse amicitiam per accidẽs & similitudinem.* Differunt autem istæ duæ species amicitiæ præcipuè obiecto, cum prior sit circa bonum honestum, reliquæ autem circa bonum iucundum tantum & vtile.

Canones generales de amicitia perfecta sunt hi.

1 *Imperfectam amicitiam cum hominibus inferioris sortis colunt magnates & principes viri.*

Quia

Quia multi homines eò defectu iudicii laborant, vt sibi valdè gratulentur, si possint crebro conuersari cum magnatibus: ideo valde vtile est in vita monitum Aristotelis, quod extat. li. 8. c. 6. vbi inquit: *Qui potentia cæteris præstant, delectantur amicis iucundis & vtilibus, neque enim quærunt iucundos cum virtute, neque vtiles cum honestate, sed quod ad iucunditatem, quærunt eos qui sunt laboriosi & solertes ad efficienda ea, quæ imperantur.* Et hoc est, quod Germani dicunt: **Wann ein schlechter Mann eines grossen Herren freund ist, So ist er entweder sein narr, oder sein esell.** Adhibent enim magnates homines facetos & moriones ad hilaritatem conciliandam. Quam consuetudinem in aulis Principium nimis frequentem taxat Æneas Syl. lib 2. De rebus gestis Alfonsi, vbi inquit: *Fridericus Imperator interrogatus, An Moriones in cõuiuium essẽt admittendi: neq; stultus*, respondit, *delectari posßum, neque superbis esße amicus*, Vbi addit Æneas Syluius, Non intelligunt hodie Principes Friderici dictum, qui hoc hominum genere ita delectantur, vt omnes aulæ sint plenæ morionũ, vtilib. autem amicis delectantur magnates; quia non possũt omnia per semetipsos agere, idcirco amicis tanquam famulis vtuntur. Tyranni verò vtuntur ad tempus familiaritate subditorum, vt cum diuites illi facti sint, eorum spoliis ditescant; idcirco interrogatus Diogenes, quomodo amicis vteretur Dionysius: *Vt vasculis*, inquit, *quæ plena euacuat & abiicit.*

2 *Amicitia imperfecta differt à perfecta: quia perfecta tantũ est inter bonos, imperfecta autem etiã inter improbos. 2, quia amicitia perfecta non ita dat locũ suspicionibus & rixis: in amicitia autem imperfecta multæ sunt causæ & occasiones suspicionum & rixarum. 3, amicitia perfecta habet omnia amabilia, imperfecta autẽ tantum vnum amabile, nempe vel iucũdum vel vtile. Deniq; in amicitia perfecta amici sunt per se amici, in amicitia autem imperfecta sunt per accidens amici, nempe propter iucundum vel vtile.*

Ita docet Arist. lib. 8. c. 4. deinde sub finem cap. 8.

3 *Amicitia imperfecta facilè dissuitur, si nempe com-*

cõparetur cũ amicitia perfecta, idque propterea, quia frequentes querelæ oriuntur in amicitia imperfecta.

Vide cap. 13. lib. 8. & c. 3. lib. 9.

4 *Amicitia imperfecta aliquo modo stabilis est duobus casib. & temporib.* 1, *quando vtrinq; fit par officiorum compensatio in eodem genere.* 2, *si diuturna consuetudo accedat: tunc enim tales incipiunt se magis ac magis mutuo amplecti, non tantum propter voluptatem & vtilitatem, sed etiam propter virtutem.*

Sic enim docetur lib. 8. c. 4. quod ex amicitia imperfecta sæpè gignatur perfecta propter diuturnam temporis consuetudinem: cuius rei manifestum indicium est in amicitia contracta in scholis, quæ initio colitur propter iucunditatem, postea temporis progressu commutatur in amicitiam perfectã, sicut Quintil. inquit: *Nullas amicitias firmiores esse, quam quæ in Scholis cœperunt.*

Amicitia imperfecta est vel iucunda, vel vtilis.

Amicitia iucunda est, cum propter iucunditatem & voluptatem, duo vel plures inter se amore vel beneuolentia coniunguntur.

De hac sunt Canones.

Amicitia iucunda maiorem habet affinitatem cum amicitia perfecta, quàm amicitia vtilis.

Ita docetur lib. 8. c. 6. & afferuntur 2. argumenta, quorum primum est, quia amicitia iucunda est magis ingenua & liberaliter educatis ingeniis digna: Vtilis autem amicitia minus est ingenua, vtpote quã consectãtur homines sordidi & auari. qui quæstum faciunt ex amicitia. 2, quia etiam beati & felices homines, atq; adeo viri boni magis expetunt amicos iucundos propter conuersationem, vtiles autem non curant, quia iis non egent,

2 *Iuuenes vt sunt aptiores ad amicitiam iucundã ita etiam eam libentius colunt.*

Ita docetur li. 8. Eth. c. 3. vbi inquit: Amicitia iucunda præcipuè locum habet in iuuenibus, qui magis secundum affec-

tus

tus viuunt, & actiones suas iucunditate metiuntur, itaque appetunt mutuam conuersationem, quâ se inuicem oblectent. Et cap. 5. dicit, Iuuenes aptiores esse ad amicitias propter morum amabilitatem & facilitatem, & quia gaudent conuersatione. Refert ergo huc Aristot. amicitiam, quam vocat ἑταιρικὴν, q.d. sodalitatem, quando duo vel plures inter se sunt boni sodales.

Amicitia vtilis est, quæ colitur inter duos vel plures propter commodum & vtilitatem.

De hac Cic. 1. Denat. Deor. *Earum*, inquit, *est ipsum verbum amoris, ex quo amicitiæ nomen deductum est, quam si ad fructum nostrum referamus, non erit amicitia, sed mercatura vtilitatum nostrarum: prata, & arua & pecudum greges diligimus eo modo, quòd fructus ex iis capiamus, hominum charitas & amicitia gratuita est.*

Canones de amicitia vtili, sunt hi.

1 *Amicitia vtilis maximè colitur à senibus.*

Arist. 8. lib. c. 3. In senibus, inquit, & iis qui senum vitio, id est auaritiâ laborãt, maximè locum habet amicitia vtilis: Idcirco ad hãc amicitiã refertur ea quæ vocatur φιλία ξενικὴ, amicitia hospitum, qualem caupones & hospites mercenarii gerunt erga eos, qui ad eos diuertunt.

2 *Amicitia vtilis potest etiam esse inter absentes, quia potest alter alteri esse vtilis, etiamsi locis sint disiuncti.*

Aristoteles ibidem.

3 *Amicitia vtilis maximè omnium obnoxia est querelis, iniuriis, suspicionibus, atq; idcirco etiam omnium maximè instabilis,*

Lib. 8. cap. 13. docetur amicitiam iucundam non ita admittere querelas; nam aut sibi sunt mutuo iucundi tales amici, & ita non potest alter de altero conqueri; aut si non sunt iucundi, possunt abstinere à conuersatione, & ita alter alteri non potest esse molestus: Amicitia verò vtilis maxime est exposita querelis, propterea quia vterque amicus laborat pleonexiâ, & plus appetit, quam alter possit aut velit præstare.

4 *Tunc*

4 *Tunc autem maximè oriuntur querelæ, quãdo is, qui beneficium accepit, non tantum retribuit, quãtum sperabat se recepturum is, qui beneficium dabat.*

Amicitia vtilis est vel moralis, vel legalis.

Ita diuidit Arist. dicto cap.

Moralis est, in qua beneficia retribuuntur non ex aliquo pacto, sed ex beneuolentia & libero vtriusque arbitrio.

De hac Canones sunt.

1 *Amicitia vtilis moralis inprimis obnoxia est querelis, quia plerunque in ea plura expectantur, quam dantur.*

2 *Itaque vt his querelis occurri possit, notanda sunt præcepta de beneficiis accipiendis, deque iudicandis iis, quæ accepta sunt, denique de rebus pensandis.*

3 *Primò ergo non temerè beneficium est accipiendum à quouis, sed prius diligenter considerandum, quo proposito & fine illud nobis offeratur.*

Si quis enim beneficium offert eo animo, vt maiora inde reportet, iam non est beneficium, sed venditio, & quidem iniqua. De qua Terentius: *Beneficium accipere, est libertatem vendere.*

4 *Si post acceptum beneficium animaduertas, quod datum sit non ex beneuolentia, sed magis ex spe recipiendi beneficii maioris, debes illud statim quam primum potes recompensare, ne tibi videaris attrahere velle amicum, qui amicus esse non cupit.*

Atque ita apparet Ethicam non admittere illud Terentianum, *Abs quouis homine accipiendum beneficium*; nisi forte addatur conditio: *Si summa necessitas postulet.*

5 *Porro vt iusta fieri possit, & querelarum expers beneficii recompensatio, ideo rectè æstimari be-*

neficia debent: & in amicitia quidem honesta beneficia æstimanda sunt non ex cõmodo accipientis, sed ex proposito & proæresi dantis: in amicitia autem vtili beneficia æstimanda sunt ex commodo accipientis, & quantum vnicuique beneficium profuit, tantum vel paulo amplius debet rependere: itaque æstimationem hîc oportet permittere accipienti.

Aristoteles sub finem dicti cap. 13. lib. 8. pulchras præscribit regulas, quomodo æstimanda sint beneficia, siue quod sit μέτρον & mensura eorum; nam de honesta amicitia dicit μέτρον ἡ τῦ δράσαντος προαίρεσις. *Mensura est dantis propositum*, siue *animus*. In amicitia autem vtili dicit esse obseruandam mensuram Hesiodi, & æstimandum, non quo animo quis dederit, sed quantum ei qui accepit profuerit: itaque in hac amicitia non dantem, sed accipientem debere æstimare beneficium: id quod cap. 9. libr. 9. pluribus argumentis probat: Quæ paulo post videbimus.

Altera species amicitiæ vtilis est νομικὴ, *legalis, in qua beneficia communicantur expresso quodam facto & conditione remunerationis, atque ita cuidẽter determinatur, quid & quantũ alter alteri debeat retribuere.*

Et hæc iterum est vel latior, vel strictior.

Latior est, in qua retributio & compensatio etsi expressè postulatur, tamen permittitur fidei & integritati accipientis, vel alioquin prorogatur i.e aliud tempus, neque amoris & beneuolentiæ cuiusdam causa, sed quoniam videmus eum qui beneficium accipit, nõ statim habere, vnde possit compensare.

Strictior verò dicitur ἀγοραία, *forensis & mercatoria, in qua statim fit compensatio de manu in manũ, qualis est inter ementes & vendentes.*

Itaque huc pertinet societas mercatorum, quæ planè est amicitia vtilis & quidem valdè strictè vtilis, ita vt à perfecta

amicitia

amicitia longiusculè absit & admodum ambiguè amicitia dicatur.

De tali amicitia legali canon est: *Quod in eâ nõ facilè oriantur querelæ, quia nempe clarè definitur, quid, quantum, & quando sit retribuendum: & nisi alteruter retribuat, potest cogi iure, vt stet promissis, quod in morali amicitia fieri nequit.*

Est porro amicitia imperfecta alia homogenea, alia heterogenea.

Homogenea dicitur, in quâ se amici amant propter vnam eandemque rem, nempe aut tantum propter vtilitatem, aut tantum propter voluptatem.

Heterogenea amicitia est, in quâ se amici amant propter res diuersas. e. g. vnus amat alterum propter iucunditatem, alter verò amat eum propter vtilitatem.

Ex cap. 1. libr. 9 Ethic. colligitur hæc diuisio, quod aliæ amicitiæ sint ὁμοειδεῖς, eiusdē speciei, aliæ verò ἀνομοειδεῖς, diuersæ speciei.

Can. de amicitia heterogenea sunt hi.

1 *Amicitia diuersæ speciei stare ad tempus potest, quando in compensandis beneficiis & officiis seruatur analogia vtrinque, & quidem eodem modo: secus enim statim oriuntur querelæ, nempe vel quando non est æqualis ἀντιφίλησις, redamatio: vel quando non est æqualis retributio, vel quando non fit retributio per eandem illam rem, quam alter expetebat: id enim perinde est ei, ac si nihil retributum fuisset, quia non in eadem gratia facta est retributio.*

Declarat illud postremum pulcherrimo exemplo Arist. Erat, inquit, *qui amicitiam contraheret cum cytharœdo, vt disceret ab eo fidibus canere, ac promiserat quanto melius caneret, tanto se plura daturum. Cytharœdus sperabat mercedem: alter verò cum benè didicisset canere, dixit se redditurum*

voluptatem pro voluptate.

2 *His autem querelis, quæ oriuntur, sic occurri potest, si primâ quaque occasione beneficia nobis oblata, aut pari aut maiori, si possumus mensura compensemus, vel in eodem genere, si velit alter, vel in altero, quo cupit.*

3 *Quod vt rectè fieri possit, duo notanda sunt:* 1, *quis debeat æstimare beneficium.* 2, *quo modo sit æstimandum.*

4 *Beneficii æstimatio in hoc genere cautè permittenda est: nam quando qui beneficium contulit, pactum fecit, iam ipse beneficium æstimauit; quando verò pactum expressum nullum intercessit, nec est determinatum, quid & quantum debeat retribuere accipiens, tum æstimatio beneficii magis est penes accipientem quàm penes dantem.*

Idque probat Aristoteles quinquo rationibus; quarum prima est, quia qui nihil determinat, tacitè accipienti liberam æstimationem permittit. 2, quia accipiens magis nouit, quantum sibi beneficium profuerit, ideo melius potest æstimare. 3, à simili rerum venalium: Æstimatio in foro magis pendet ex iudicio & arbitrio emptoris, quàm venditoris, ideo etiam æstimatio magis debet esse penes accipientem. 4, à testionio quarundã Rerũp in quibus non conceduntur iudicia in eiusmodi liberis & voluntarijs contractibus: nam æquum esse videtur, vt sicut danti liberum fuit dare quid & quantum vellet, ita accipienti liberum sit retribuere, quid & quantum ipsi fuerit visum. Vltima ratio est, quia dans sua potest pluris æstimare, propterea quod ipsius sint, quàm æquum est, itaque refrenandus est ab accipiente, ne nimium æstimet.

5 *De eo autem quomodo sint æstimanda beneficia, hæc præscribitur regula, quod accipiens tanti debeat beneficium æstimare in actu retributionis, postquam id est adeptus, quanti æstimabat tum, quando*

do adhuc illo egebat : nam indigentiæ est optima mensura rerum.

Ita sub finem capitis Aristoteles; sub initium autem capitis præclarè differit de aliâ quadam mensurâ beneficiorum in amicitia præsertim vtili, de qua vt de priori etiam docuerat lib. 5. Hoc autem loco quod dixi, dicit κοινὸν μέτρον τὸ νόμισμα, πρὸς τοῦτο δὲ πάντα ἀναφέρεται καὶ τούτῳ μετρεῖται: Id est, *communis omnium mensura est nummus, atque ad hunc omnia referuntur, & per hunc omnia mensurantur.*

6 *Sunt quædam beneficia quæ nullam planè æstimationem suscipiunt, siue quæ nullâ mensurâ mensurari possunt, vt sunt beneficia Dei, parentum, & præceptorum.*

Non possum omittere hunc pietatis plenum Canonem, quem ponit Aristoteles sub finem lib. 8. Eth. vbi inquit: *Nemo est, qui Diis immortalibus & parentibus æquiualentem honorem retribuere possit: sed, qui eos pro viribus & facultate colit, is probus & pius esse putatur.* De præceptoribus verò inquit libr. 9. c. 1: *Neque sapientiæ æstimationem pecunia metiri potest, neque vllum precium paris momenti reperiri queat; ac satis esse debet, id quod vires & facultates patiuntur referre, quemadmodum & in Diis & in parentibus colendis restabat* : Itaque dicit eandem esse rationem eorum, qui Philosophiam communicant cum aliis, quæ sit ratio eorum, quorum beneficia æstimari nequeunt. Concludemus hanc doctrinam, vbi prius breuiter expedierimus hanc quæstionem : Ad quam amicitiæ speciem referenda sit amicitia eorum, qui in communi periculo constituti se amant, itemque amicitia peregrinantium; Respondeo, amicitiam periculorum referri posse ad amicitiam iucundam, quia gratum est hominibus habere socios malorum, sicut milites amant se mutuò processuri in aciem, quia iucundum est ipsis, quod habeant periculi consortes : Quatenus autem amicitia periculorum includit amorem virtutis, quo alter alterum prosequitur, cum sperat se ipsius virtute in isto periculo adiutum iri, eatenus refertur ad amicitiam honestam: exempli gratia, cũ militibus est prodeundum in aciem, amat alter alterum propter fortitudinem, quia omnino sperat sibi

certum adminiculum paratum iri. Sicut contra experientia teſtatur, quod milites in magno periculo conſtituti, ignauos & ineptos ad dimicandũ ingenti odio proſequantur, & propriis ſæpè manibus conficiant tanquam impedimento ad fortitudinis actionem futuros. Sed hoc tamen intereſt, quod amicitia honeſta, quam ſupra tractauimus, reſpectum habeat ad omnes virtutes: militaris autem oculos quaſi claudat ad alias virtutes & ſolam fortitudinem intueatur, ita vt amicitia honeſta ſpecialis dici poſſit, ſiue amicita honeſta, quoad fortitudinem. Peregrinantium verò & vnà nauigantium amicitia magis ad iucundã accedit; nam in nauigantibus nullus eſt locus fortitudinis, vt ſupra audiuimus: qui verò terrâ iter faciunt, interdum præter iucundum, etiam honeſtum reſpiciunt extra bellum, ſi nempè alter alterius operâ poſſit à prædonibus aut latronibus liberari. Quamuis & in nauigantibus hoc locum ſubinde habet, vt non tantum à vento & mari, ſed etiam aliunde periclitentur, nempe à piratis, morbis & ſimilibus periculis. Atque ita iam *Syſtema Ethicæ prudentiæ* adornauimus, in quo quidem de fine, obiecto, deque mediis huius diſciplinæ ita docuimus, vt ſimul Ariſtotelis textum omnem, & quicquid in eo memorabile eſt, explicauerimus, id ad certam præceptorum methodum reduxerimus, & commentarios à præceptis Ariſtotelis diſtinxerimus. Quod ſupereſt, Deo opt. max. gratias agimus, quòd in mentibus hominum has reliquias imaginis ſuæ, & hoc diſcrimen honeſti & turpis conſeruauerit, & occaſionem nobis dederit præcepta hæc Ethica methodicè complectendi, in quibus continentur notitiæ legis naturalis, & iuuli diuinæ ſapientiæ & teſtimonia de Deo, & magna adminicula ad explicationem doctrinæ cœleſtis, imò & nerui politicæ ſocietatis, & ornamenta ac præſidia totius vitæ, & denique propinquus gradus ad veram pietatem ac Religionem; quomodo quidem Ethicam ſuam concludit magnus ille Melanchthon, qui diſertè dicit: *Si ad virtutes in Ethica traditas accedat agnitio veri Dei, & fides in mediatorem, quòd fiant pars veri cultus diuini.* Qua coronide piâ obſignamus hanc primam Philoſophiæ practicæ partem.

FINIS.

WOJEWÓDZKA BIBLIOTEKA PUBLICZNA
DZIAŁ ZBIORÓW SPECJALNYCH
* W BIELSKU-B. *

1
175
KSIĘGARNIA
ANTYKWARIAT
DOM KSIĄŻKI DOM
3.000.-
467773 F